De methodis medendi in morbo syphilitico primo statim, quo id malum apparuit tempore, adhibitis.

Dissertatio iuauguralis medica

quam

concensu in auctoritate gratiosi medicorum ordinis in alma litterarum universitate Wirceburgensi

edidit

Carolus Fridericus Lucke
doctor medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae.

HERBIPOLI.
Ex officina viduae C. Becker Universitatis Typographi.

MDCCCXLIV.

V i r o

plurimum reverendo, amplissimo,

doctissimo, illustrissimo,

Ludovico Choulant,

Augustissimi regis Saxoniae a consiliis aulicis, philosopsiae, medicinae et chirurgiae doctori, academiae chirurgico-medicae Dresdensis hoc tempore directori, medicinae practicae ibi professori, clinices therapeuticae directori, concilii examinatorii medici socio, assesori collegii medici regii, quod praeest territorio Dresdensi, complurium societatum doctarum sodali etc.

Viro

perdocto, aestumatissimo, reverendissimo

Christiano Friderico Lange,

in ecclesia, quae Bornae est, archidiacono, etc.

h u n c l i b e l l u m

animo grato

d. d. d.

auctor.

Praeceptoribus
fautoribusque S. D. P.

Ignoscatis mihi viri summe reverendi, amplissimi, doctissimi, praeceptores dilectissimi, quod hoc primum eruditionis meae specimen Vobis dedicare ausus sum. Quamquam enim haud ignoro, quam sit exiguum, quamque indignum, quod a Vobis consideretur atque probetur, occasionem tamen nolui praetermittere, quam grato ergo Vos affectus sim animo, publice hac dissertatione Vobis ostendendi. Enexissime autem Vos rogatos velim, ut ea qua semper erga me usi estis, indulgentia de hoc opusculo judicetis magisque bonam in me voluntatem, quam operis praestantiam respiciatis. Ante omnia rogo Te, Choulant, vir amplissime et illustrissime, quo nunquam habui praeceptorem cariorem neque doctiorem ut hoc

gratissimi animi mei documentum non plane repudies mihique ignoscas, quod hoc opus Tibi dedicare et quasi Tuo nomine ornare ausus sum. Quodsi multa in eo desideraveris et si errores in eo deprehenderis tribuas illos quaeso meae juventuti studioque meo inchoato sed minime absoluto, et persuasum habeas me ut in dies ad majorem perfectionis gradum perveniam esse elaboraturum. Tibi etiam Lange, vir amplissime et summe reverende, qui tantam operam collocasti in animo meo formando et excolendo et qui me primis cognitionibus imbutum idoneum reddidisti ad Choulant praeceptoris carissimi et doctissimi institutionem bene audiendam et intelligendam, gratias refero quam maximas.

Praefatio.

Quaerenti mihi aptam, de qua dissertationem cuique ad summos doctoris medicinae et chirurgiae gradus perventuro elaborandam, scriberem materiam, opportune sese obtulerunt diversae, quae malo primum apparente adhibitae sunt ad morbum syphiliticum sanandum methodi, quas tamen quominus ad nostra usque tempora persequerer voluminis magnitudine impeditus sum.

Ab initio autem ingenue mihi fatendum est me nova scribere non potuisse tum propter juventutem, tum propter summum quo artes et litterae nostris temporibus sese extulerunt fastigium. Cum enim tot et tam praeclara etiam de re

de qua scripturus sum, existant scripta ut nova proferre vix doctissimis et illustrissimis medicis possit contingere, aequus judex profecto mihi ignoscet, quod magis exscribendo et excerpendo, quam nova proponendo hunc libellum composui. Magnopere tamen animum juvabit, si quis in judicanda mea materia me neque absurdum, neque imperitum et in scribendo non plane negligentem invenerit, meque non plane sine fructu scripsisse affirmaverit. Priusquam autem ad propositum veniamus de nomine et origine morbi pauca dicamus.

Morbus syphiliticus quamquam tanquam morbus genitalium jam diu exstiterit, Graecisque et Romanis haud ignotus fuerit, tamen in morbi contagiosi et epidemici forma primum apparuit sub finem seculi XV. Cujus quidem mali originem e medii aevi rationibus et ex ea, quam hujus temporis homines perpessi sunt fortuna, repetendam esse persuasum habeo, et praecipue expeditiones sacrae huic morbo multum videntur favisse. Cum enim his in bellis maxima hominum multitudo neglecto saepe omni ordine et posthabita omni disciplina, moribus effrenatis circumvagarentur, fame, omnium rerum inopia, omnis generis morbis afflicti, omnibus vitiis, vino et stupro dediti, quippe qui sperarent fore ut piaculis sacerdotum venalibus omni peccato liberarentur, quid mirum, quod tantam hoc malum in eorum corpora exseruit efficaciam?

Huc accessit, quod magnae hominum copiae omnibus malis laborantes anguste habitabant in urbibus recens conditis, quae cum essent saepius

oppugnatae, moenibusque altis et fossis circumdatae, mirum in modum morbo excitando et propagando inservierunt. Ceterum rationes illius temporis cosmico-telluricae ut inundationes, venti, calor immoderatus, siccitas ingens est haud minimum inter illius morbi causas mihi videntur obtinere locum, multumque valuerunt ad gignendas omnes res supra commemoratas, quibus omnibus temporis ingenium fervidum, ferocissimum mirum in modum sese exseruit vestigiis in corpore humano relictis, Inde fere omnium illius temporis morborum naturam, praecipue leprae, in vegetationis sphaera invenimus et simul ante ejus exstinctionem nullum alium cutis morbum, nisi lepram deprehendimus. In novum morbum transierunt symptomata morborum similium et natura temporis: formavit igitur se cum morbo cutis et praevalente genitalium ita, ut transiret in horrendam illam mediae aetatis luem. Itaque de hujus morbi origine nostra haec est sententia: Syphilis ex morbo leproso, ratione quam supra commemoravimus orta et ad novum morbum modificata est. Argumenti loco haec erunt:

1.° Exstinctio leprae cum incremento morbi syphilitici progressum observat parallelum.

2.° Similitudo morborum, symptomata cutis, macula, ulcera, serpigines, lichenes, tumores; dolores ossium et exostoses, caries, etc.

3.° Exstincta syphilidis vehementia videmus illa leprae symptomata ut defluvium crinium et effluvia mucosa e genitalibus redundare.

4.° Videmus nostris adhuc temporibus consensum inter syphilidem et lepram, psoriasin, (Sibbens Sco-

torum, Radesyge in Norvegia, Pians in Canada et mal de Scharlievo quae in Istria initio nostri seculi apparuit et usque ad annum 1819 saeviit).

5.° Curatio morborum et primo tempore quo apparuit morbus syphiliticus et nostris temporibus.

Quamquam autem de tempore quo ille morbus sese ostenderit, fere omnes consentiunt, tamen de illius origine diversae habentur sententiae (quare etiam nomina diversa) quarum has mihi afferre liceat.

Alii et antiqui scriptores contendunt, morbum venereum epidemicum, aut ex influxu siderum aut ex inundatione fluviorum et vehementi aestatis calore (1494) et ex sequente aëris humida et aestuosa natura in Italia esse ortum. Alii tamen ex America hunc morbum ad nos venisse dicunt, secundum Columbi, Oviedo et aliorum testimonium et affirmant, eum in insulis Antillarum et in continenti Americae endemicum esse et per illos, qui Americam detexerunt et Columbum comitati sunt in Hispaniam et ex Hispania in Italiam a militibus Hispanicis qui Ferdinando et Isabella, regibus Hispaniae et Siciliae, Neapolim occuparunt translatum esse, quo modo in Galliam et alias terras translatus sit, cum milites cum Hispanis conjuncti ut Scoti, Galli hoc morbo infecti essent. Girtanner autem suam sententiam hac hypothesi ornavit: mulieres Americanas summa libidine inflammatas maritis potus ad coitum excitandum idoneos confecisse atque praebuisse, vel etiam parvis insectis in maritorum genitalibus collocandis ut membrum virile tumesceret et erigeretur, operam dedisse. Ha-

rum quidem bestiolarum morsum et ictum in vulnus mutatum esse, quod non diu post in ulcus transierit, qua ratione morbus effectus sit venereus. Alii etiam qui et ipsi Americam morbi patriam esse dicunt, anthropophagos, alii clima, alii cibos, quibus Americani utuntur, accusant.

Alii censent ex India australi morbum ad nos pervenisse. (Reinhold Forster, Turnbull)

Sunt etiam, qui ex Africa illud malum derivent, quia apud Nigritios Guineae similis morbus (quem the Yaws vocant) endemius sit. (Sydenham et alii)

Alii contendunt, per Maranos ex Hispania expulsos per Europam morbum propagatum esse.

Fuerunt etiam, qui Asiam et Indiam patriam esse et per Cingaros in Europam morbum translatum esse putarent (Schaufuss) et alii in Asia anteriore natum dicunt (Swedianer)

Alii opinantur, coitum intra menstruationem mulierum, morbum genuisse; alii a scorto quodam Valentino, quocum leprosus rem habuerat; alii a scorto alio, quodam in castris Gallorum, cujus in utero abscessus lateret; alii a puteis, Hispanorum perfidia venenatis, aut a gypso cum farina misto, aut a vinis veneno infectis, morbum deductum essse.

De mali propogatione.

Etsi morbus syphiliticus jam anno 1457 (Salicetus) et anno 1483 Romae et 1488 in Hispania observatus sit videmus tamen repente erumpere eum magna cum propagatione annis 1494—1495,

Neapoli rege Galliae Carolo VIII. eam occupante, et tam acerbis symptomatibus et tanta celeritate propagatus est ut anno 1495 Parisiis et 1496 in provincia Galliae saeviret. Ut Galli hunc morbum in patriam importaverunt, sic etiam milites Helvetici et Germanici auxiliares in Helvetiam et Germaniam morbum transtulerunt. Videmus ergo morbum epidemicum anno 1495 in Helvetia et Argentorati, 1496 in Franconia, Coloniae et in Silesia, 1496 Norimbergae. Ex Hispania morbus venit in Lusitaniam et etiam in Bataviam. Gallia propter conjunctionem aulae eum in Scotiam misit 1497, qua ex terra postea etiam in Angliam translatus est. In Africam per Maranos ex Hispania expulsos morbus transplantatus est.

Extra omnem positum est dubitationem, initio seculi XVI in omnes fere terrae regiones morbum venereum propagatum esse.

De nomine morbi.

Permulta nomina derivata et a symptomatibus morbi et a terris in quibus ortus esse dicitur et a Sanctis et Sanctissimis, qui ad curationem et praesidium invocantur morbo data sunt. Itaque: Brosulae, pustulae, bolle, bubas, tavelle, verugas, verole, pudendagra, mentulagra, wylden Wärtzen, die bösen Blattern, die schwere Krankheit der Blattern od. Wartzen, Blattern, Pocken, scabies epidemica, malum mortuum, lepra acuta et ardens, pustulae formicales, asafaticae etc.; mal de Naples, morbus Gallicus,

mal Francese, Franzosen, Spaanse Pocken, spanischer Kragen, morbo castellano, french pox, das böß Franzoß, morbus Franciae, tabes Franciae, scabies Gallica, Hispanica, morbilli Italici etc., morbus Sancti Maevii, Sanctae reginae, Sancti Jobi, Sancti Rochi, Rancti Evagrii. Syphilis postea nominatus in carmine Fracastorii.

Periodus prima.

(A tempore, quo morbus syphiliticus in epidemiac forma primo apparuit (1493) ad tempus, quo lignum Guajacium in Germania est adhibitum (1517)).

His praefatis ad verum opusculi nostri propositum veniamus et ad describendas varias, quae ad curandum morbum syphiliticum adhibitae sunt methodos accingamur. Qui morbus, cum, uti diximus, media aetate ortus sit, ab illa aetatis nobis erit incipiendum, quae sane magnarum rerum fuit ditissima, cumque sit media inter antiquum et novum tempus utriusque temporis certamen repraesentat, ubi maximam veritati investigandae homines dederunt operam. Duplici autem ad verum detegendum nitebantur via, cum alteri theosophiae, theologiae mysticae et magiae studerent, alteri nonnisi naturae contemplatione verum [illegible] posse contenderent. Cum igitur morbus [illegible] et omnium animos magnopere occuparet, secundum diversas, quae eo tempore invaluerunt sententias tractatus est ipsiusque aetioligia et therapia modo astrologis, modo philosophis, modo theologis tra-

2

dita est perscrutanda. Quod ut probemus, diversas, quas jam antiquissimi scriptores de istius mali origine fovebant sententias, proponamus.

Marcellus Cumanus primus scriptor et medicus luis venereae, medicus chirurgicus exercitus Venetici, testis oculatus luis venereae epidemicae tum primum orientis, scripsit in observationibus suis ad marginem chirurgiae Aegilatae scriptis, postea a Georgio Hieronimo Welschio in lucem 1668 Augustae Vindeliciorum editis: anno 1495 influxu quodam coelesti luem ortam esse.

Conradus Gilinus, artium et medicinae magister, plane ignoravit morbi originem, quam adeo derivat vel a conjunctione Martis et Jovis, qua anno 1494 et Saturni et Martis, quae anno 1496 acciderunt, vel ab ira Dei in hominum scelera commota. Licet credat luem Gallicam a causis universalibus oriri, tamen subodoratus est, contagione ex impura venerea eam contrahi. Unum tamen, inquit, inter cetera dico, hunc morbum contagiosum esse, unde iterum moneo, ne cum mulieribus hac aegritudine infectis ullo pacto miscearis, quia vidi multos hac de causa infectos maximis afflictos esse cruciatibus. Ad naturam morbi quod attinet, morbum Gallicum poni posse sub articulo ignis Persici opinatur, contra refellit eos, qui arbitrantur, morbum Gallicum cum lepra Arabum convenire.

Leonicennus in libro de epidemia, quam Itali morbum Gallicum, Galli vero Neapolitanum vocant Venetis MIIID statuit, ut novi in Italiam venerant morbi prioribus seculis ignoti, qua de re testem profert Cajum Plinium, lib. 26. historiae naturalis, sic simile quoddam suo aevo accidisse. Jam enim

inquit ille, insolitae naturae morbus Italiam et multas alias regiones invasit. Huic morbo nondum nostri temporis medici verum nomen imposuerunt, sed vulgato nomine morbum Gallicum vocant, quasi ejus contagio a Gallis in Italiam importata aut eodem tempore et morbo ipso et Gallorum armis Italia infestata. Ceterum cogor existimare (neque mihi potest in captum mentis aliter pervenire) natam hunc repente labem ita infecisse aetatem ut nullam superiorem. Deinde sequitur haec sententia quae medicorum sit, eo anno, quo morbus Gallicus coepit pullulare, magnum aquarum per universam Italiam fuisse exuberantiam. Tantisque imbribus annus ille ubique maduit ut terris exinde humentibus atque stagnantibus minus mirandum sit, aestivum aerem ad illam venisse intemperiem, calidam scilicet et humidam, quam medici et philosophi omnium putredinum matrem esse confitentur.

Alexander Benedictus ut Marcellus Cumanus testis oculatus morbi Gallici incipientis scripsit, morbum Gallicum novum vel saltem medicis incognitum prioribus, ad nos ex Occidente irrepsisse, coitu cum mulieribus infectis propagari.

Hanc aliam dixit Casparus Torella in scripto suo (tractatus cum consiliis contra Pudendagram seu morbum Gallicum) malignam hanc aegritudinem incepisse anno 1493 in Francia et sic via contagionis pervenisse in Hispaniam, ad insulas, in Italiam, postremum serpendo totam Europam peragrasse, et si fas dicere est totum orbem. Refert simul sententiam astrologorum, qui dicunt, hunc morbum provenire e constellatione corporum

superiorum; nam dicunt effectum universalem in causas generales resolvendum esse et hoc propter Saturnum existentem in ariete; nam in ariete et in piscibus sunt quaedam stellae habentes virtutes generandi monstra. Deinde memorat aliorum sententiam, qui morbum flagellum Dei esse putant et refert denique opiniones illorum, qui censebant, morbum Gallicum descriptum esse ab Avicenna, ab Hugone, Senensi, imo ab Hippocrate et Galeno ergo antiquum morbum esse.

Natalis Montesaurus, Veronensis dixit in libro contra Leonicennum scripto morbum Gallicum non novum esse, sed a medicis olim descriptum sub nomine Bothor, Asaphati et Tusii, tamen confitetur malas dispositiones anni 1496, in quibus intensa caliditas tempestati pluviosae successit, alias putredines in corporibus humanis effecisse his temporibus . . . . . et ideo alias pustularum species et fortasse haec dispositio provenit ab influentia stellarum, quae sunt causae, quae ad medicum non attinent, dicunt enim astrologi, causam harum pustularum esse conjunctionem Saturni cum capite arietis.

Sebastianus Aquilanus contendit in epistola ad excellentissimum dominum Ludovicum de Gonzaga, Mantuae episcopum etc. morbum Gallicum elephantiasi similem et fortasse aequalem esse.

Bartholomaeus Steber scripsit, morbum Gallorum anno 1494 ortum esse ejuspue causam in astris esse.

Antonius Benedictus hunc habet sententiam: morbum Gallicum novum esse genus morbi, quod anno 1496 ab Hispanis incipiens per Italiam pri-

mum, tum Galliam, ceterasque Europae provincias late diffusum mortales quam plurimos occupaverit.

Marinus Brocardus censet meliorem morbi causam afferi non posse, quam illam trium luminarium (Saturni, Jovis et Martis) conjunctionem, quae adhuc durat, ac etiam per aliquod annos perseverabit.

Petrus Pinctor dixit morbum novum esse et anno 1494—95 primo apparuisse.

Wendelinus Hock scripsit (anno 1502 prima edit 1514 secredit, tractadum de causis, praeservativis, regimine et cura morbi Gallici etc. in quo libro eadem reperiuntur, quae in ceteris jam notavimus, morbum primum apparuisse anno 1494, novum esse, praecedendibus seculis incognitum; ab antiquioribus morbis plane diversum; quod multis probat de elephantiasi et asafati, non provenientem solum a contagio, sed veram causam et magis appropriatam fuisse aliquam influentiam stellarum erraticarum.

Joannes Weidmann, Salicetus, in libro „de pestilentia cum adjecta quaestione de fuga pestis" laudavit hunc locum: morbi epidemici aliquando sunt febres, interdum carbunculi, nonunquam morbilli et variolae, vel aliae cutis infectiones. Quales etiam sunt vel pustulae formicales vel alfaticae (dictum malum Franciae) quae nunc ab anno 1457 usque ad praesentem annum 1500 de regione in regionem dilatatae sunt.

Hunc annum 1457 multi typothetae vitium esse putabant, quia luem veneream ante annum 1493 visam esse non existimaverunt.

Jacobus Cataneus de Lacumarino consentit

cum Wendelino Hock et aliis, morbum primum exortum esse in Italia anno 1494 monstrosum fuisse, nullis ante seculis visum, totoque in orbe terrarum incognitum et a lepra s. elephantiasi diversum. Profert de morbi contagione: morbum contagione contrahi multiplici ratione, concubitu, cubatione, lactatione, suctione; morbum tamen non semper contagione propagari ab infecto in sanum, dixit enim: Vidi tamen complures concubitus immundarum non recusantes et in sordes venereas sese praecipitantes, qui tamen nullam inde intectionem hauserunt. Primus medicus est qui putat venenum venereum diu ut in morsu canis rabidi, in corpore esse, antequam in morbum erumpat apertum atque conspicuum.

Philippus Beroaldus, Laurentius Phrisius, Petrus Trapolinus, Sabellicus, Petrus Magnardus, Benedictus, Joannes de Vigo etc. narrant omnes ad sec. XV. finem ortum esse morbum et visum in Europa; Ferdinandus Columbus, filius Christophori Columbi, qui historiam patris sui sub hoc titulo edidit: La historia del Almirante Don Christoval Colon, su hijo, in qua luis venereae primum mentionem facit, quam in insula Hispaniola inter incolas epidemicam fuisse dicit.

Therapia, de qua in sequentibus fusius exponemus, ex causis, quas jam indicavimus, non felicior erat quam actioligia multis opinionibus praejudicatis ex astrologia et theosophia petitis, correpta. Nam ne ea quidem ab erroribus, quibus aetas erat obnoxia, exemta fuit, quapropter morbi curatio in triplicem, astrologicam, theosophicam et medicam possit dispersi. Omissis tamen duo-

bus prioribus modo de ultima dicamus, quia sane nimis molestum esset multorum errorum a fanatismo et a vano magiae studio excitatorum enumeratione lectoris fatigare patientiam, temporique parcendum est ad meliorem usum nobis dato.

Auctoribus et medicis primis, quibus causae et natura morbi ignotae, curatio quoque ignota erat. Magnum tamen novarum methodorum multitudinem et analogia symptomatum in aliis morbis conspicuorum et quaestio remediorum morbum accerimum exstinguentium effecerunt. Alii igitur qui morbum ex lepra ortum esse putabant remedia contra lepram; alii qui morbum scabiei similem putarent remedia contra scabiem et ii, qui dicebant morbum novum esse nova remedia contra novum morbum adhibuerunt. Invenimus igitur adhibitas esse methodos exscicantes, evacuantes, sudorificas, adstringentes etc. modo singulas modo omnes in uno eodemque casu. Persequamur igitur ordine chronologico diversas, quas medici ad hunc morbum sanandum adhibuerunt methodos et tum praecipue ad curationem per Guajacum transeamus.

Marcellus Cumanus dixit: Ego curavi cum phlebitomia in saphena, aliquando in basilica, procedebam cum digerentibus, purgationibus, tandem unctionibus in locis necessariis et durabant pustulae super personam tanquam leprosam, variolosam, per annum et plus sine medicina.

Carbones etiam in digitis et aliis membris et inguinibus purgato corpore ex electuarii sebesteni ʒvj succi rosarum ʒij aut Rp. cassiae ʒv. elec-

tuar. de sebesten ℥iij. diss. cum aquae lupul., aquae fumariae, aquae endiv. aut bugloss aa. q. s.

Post dedit aquam lactis caprini rubi cum succo fumi terrae tepido. — Bubones curavit cum Rp. cassiae ℥iv. diaplaenic. ℥iij. electuar. de succo rosar. ℥iß. aq. hyperic. aq. caud. equ. aq. endiv. āa. q. s. fiat potio. D. in aurora et hoc pro naturis robustis pro delicatis autem dedit Rp. Elect. de sebest. ℥v. clilisphaci ℥ij fiat bolus vel potio cum aq. cuscutae, lupulorum, absynthii, buglossae, facta.

Ulcera virgae curavit hoc modo: primo ea lavabat cum vino albo, deinde inflabat pulverem in foramen virgae pluries in die et sumendum dedit: Rp. Pulv. sacchari rubei, zingiberis, tutiae, salis gemmae āā.

Bubones ulceratos, curavit cum lap. haematito, quem multum contulit, ut: Rp. Olei rosarum myrrthi, nenuphar. āā ℥iij aq. plantaginis, solatris, ros. aceti āā. ℥viij supra cote, dein bull. cum praedictis aliis usque ad consumptionem aquae, deinde bull. ungt. populi, lithargyrii āā ℥iij, minii ℥viij adde caphurae ℥ij cerae p. f. Ceratum s. a.

Ut resolvatur bubo in principio et augmento a causa primitiva vel a conatis fiat hoc: facta prius purgatione et diaeta Rp. Olei s. lini ℥iv et cum eo tepido inungantur inguina, dein supperadatur modo saepius permutando una, modo alia faldella stupae intusa in urina tepida bullita cum sale et hoc continuetur per tres horas et habet eventum mirabilem! Purgetur etiam corpus cum pilulis aggregatis vel electuario de sebest., vel

cassia. Ad resolvendum Rp. Ammoniaci, Galbani invecto dissoluti croci purum misce. Applica super corio. Ad resolvendos bubones ceratum hunc proposuit: Rp. Ammoniaci ℥j bdelli ℥β. Diachyl. ʒiij. pulv. Ireos ʒβ ping. anser., ursin., taxi āa ʒiij. Dissolve Gumia et adde pulv. Ireos in fine et fiat sicut unguentum. Parietaria etiam petroselinum sunt resolventia apostematum et anagallis tepida cum aceto. Ad resolvendam duritiem apostematum inguinis uti jussit: Rp. Diachyl. mollific. s. mes. ℥β. empl. de meliloti ʒj, hyssopi humidae ʒiij, ping. gallin., anatis āa ʒβ. misculenti igne. Extendatur super corium.

Valet etiam ol. liliorum, anneth. keyri tepidi cum lana succida et adplicatio ventosis super corium, cum extractione sanguinis. Quies multum confert, diaeta et clysmata

Etsi Marcellus Cumanus diversa et multa contra luem proferat remedia, cantat tamen Sebastianus Brandt in suo eulogio

Non ille Chiron nec item cum fratre Machaon
Ferre salutarem posse fatentur opem.

Sed ex illis, quae ex Marcello Cumano citavimus, satis apparere videtur, hujus morbi remedia neque temporibus illis neque huic auctori fuisse incognita. Hoc magis etiam videre licet e versibus sequentibus, in quibus de inunctionibus mercurialibus loqui videtur:

Esto, aliqui tentent medicinam adhibere et inungant
Corpus, et in saccum, culleolumque suant;

Crede mihi, nocuit praeceps medicina frequentur,
Quodque percussum est, scabrius ulcus erit
Sola juvat pietas superum et mora longior atque
Cum mithridatis ope phlebotomia frequens.

Fortasse primum exemplum de adhibita ad curandam luem veneream Hydragyriosi.

Josephus Grunbeck, Germanus, etsi non medicus, scripsit tamen de morbo Gallico, et eulogio Sebastiani Brant, et quia ipse morbo isto laboraverat, motus. Extant hujus auctoris tractatus tres. Primus qui inscribitur: „De pestilentiali scorra c. Seb. Brant, Eulogio (1496),“ producit carmen Seb. Brant, disserit de remediis contra sagittas hujus pestiferi morbi sive proluviei de Franzos; In capitulo X laudat ad morbi prophylaxin, phlebotomiam catharsin, rectificationem aëris et corporis. Mane et vesperi, ait enim, optimum est, ut, quum homines voluerint se credere quieti, ignem pauxillum accendant, quem foveant thure, ligno aloës, cariophyllis, mastice cypresso et aliis rebus id generis. Rectificatio autem corporis completur uno modo per debitum vitae regimen, alio modo per debitam evacuationem. Ordinatum regimen, inquit ille, debet esse eo modo, ut omnia genera piscium effugiantur, fructus deinde dulces, similiter carnes humidae, ut porcorum, agnorum, castrorum omniumque avium aquaticarum. Homines utantur his carnibus, ut sunt pulli, gallinae juvenes, vitelli, hoedi, caprioli, turdi, perdices, fasani; aviculae alpinae potius quam campestres deligantur. Hae vero carnes cum aceto agresta, succo limonum, granatorum aut arantii condiantur, lau-

daturque eo tempore acetum bonum magis, quam acria, quae non sic a corruptione praeservant, hic sic humorum et spirituum inflammationem extingunt. Vescantur insuper his carnibus assis potius quam elixis. Fercula sint lenticulae, cum aceto conditae, portulaca; lactuca quoque praeparata aceto. Potus sit vinum bonum, non meracum sed dilatum, neque dulce, vel aqua permixto aceto vel agresta, vel succo granatorum. Similiter syrupi acetosi aqua permixti commendatur et sic patet prima corporum purificatio. Secundo rectificantur per evacuationem. Quaedam autem medicinae, his tempestatibus adhibendae, sunt corpus evacuantes a multitudine humorum et quaedam corpora alterantes et prohibendes humores a corruptione et venenositate. Evacuantes in duplici differentia sunt. Quaedam enim sensibiliter evacuant, ut phlebotomia, pharmacia, et gangarismata et similia, quaedam insensibiliter, ut fricationes, pectinationes. Quantum ad primas medicinas, consilium peritorum in arte hac est, ut corpora calida et humida sanguinea, quae sunt caloris vividi et praesertim juvenes et qui utantur carnibus et vino saepius phlebotomia utuntur, plus tamen vel minus secundum repletionem vel sanguinis multitudinem aetatisque conditionem, quoniam corpora talia majori subjacent periculo, humores siquidem eorum putredini magis parati sunt. Et item crebrius utantur evacuatione per pharmaciam cum his pillulis: Rp. Aloës sucotrinae partes duas, croci, myrrhae āā partem unam. Incorporentur cum pauco vino albo odorifero, et formentur pillulae, de quibus robusta et repleta assumant ʒj, minus vero repleta et facile solubilia assumant

ʒβ. Hae pillulae humiditates extraneas evacuant, et a putrefactione humores bonos praeservant. Evacuatis autem superfluitatibus primae digestionis et secundae, provocentur sternutationes tres vel quatuor cum veratro, pyrethri et cubebarum āā ʒβ et misceantur. Fiant deinde gargarismata cum aqua frigida et aceto permixta, per nares autem attrahatur aqua rosacea cum pauco aceto et comphora permixta. Evacuationes vero insensibiles sunt fricationes, quae fieri debent, per totum corpus, maxime ad dorsum et brachia, antequam de lecto surgant. Pectinationes longae fiunt, postquam surrexerint et superfluitates deposuerint. Et haec de medicinis corpus alterantibus et evacuantibus. Medicinae vero alterantes et a corruptione praeservantes sunt tyriaca, antidotum Andromachi. Postremo fiat hominibus laborantibus hoc malo de Franzos unguentum secundum artem tale: Rp. Cerusae ℥ij. lithargrii auri et argenti āā ʒiβ. masticis, olibani āā ℥j, resinae pini ʒiij, aluminis combusti ℥ij, argenti vivi exstincti ℥β. succi malorum citomorum ℥iβ, cerae albae, olei olivae q. s. ut fiat unguentum. Gargarisma autem taliter fiat: Rp. mellis rosati colati ℥ij. diamoron ℥j aquarum rosarum, matris sylvae, plantaginis, florum siliginis, rubii, consolidum minoris āā ʒij. misceantur insimul. Reliquis in rebus consulentur dignissimi medicinae doctores, qui sanius quam ego consulere possunt. Praeterea ad astripotentem Jesum Christum, primarium medicum, confugiamus, ad ejusque genitricem, divam virginem, Mariam quae nos ex hac turba et colluvione sidereamad

sedem evehi concedat, ubi per fruamur aevo sempiterno.

Secundus tractatus: „Ein hübscher Tractat von dem Ursprung des bösen Franzos, das man nennet die wylden Wärtzen. Auch im Regiment wie man sich regieren soll in dieser Zeit." Tertius tractatus: „Josephii Grumpeckii de mentulagra, alias morbo Gallico." Cura in hoc libello descripta, est eadem: in principio, ait enim Grumpeck, omne nocivum saepe evacuat, (per emissionem sanguinis) ante vero aegritudinis inceptionem frebuentata multos a tabe conservat, sed ut certis temporibus prodest, ita nonunquam in statu, quando infectia jam consummata est, nocet. Quum hoc pacto per sanguinis emissionem hostis in visceribus conturbatus est, facile potest ad cutis extremitatem quibusdam potionum generibus evocari. Recipiat quis dimidiam libram recentium ficuum, lentum ℥iij, liquiritiae rasae et incisae ℥j buliat. in iv ℔ aquae ad consumptionem aliquarum partium; quo potu sobrie calido, alias frigido, quotiens sitis appetitus bibendi suscitabulum commoverit, utatur. Sentiet brevi omnem intrinsecam scabiem ad corporis superficiem excuti cutemque totam ad sordium et pustularum alluviem assurgi. Quum factum est, hauriat sequentem syrupum singulis hebdomadis mane, antiquam e lecto surgat. Capiatur endiviae, hepaticae, lupulorum, capillorum veneris, buglossae, boraginis, acitosae uniuscujusque manipulus dimidius, absinthii, fumi terrae, scabiosae uniuscujusque manipulus unus, florum violarum, rosarum rubearum, boraginis, buglossae singulorum drachma una, hordei mundati,

iquiritiae rasae, berberorum, uniscujusque uncia dimidia, passularum mundaturum uncia una, sennae mundatae, epithymi, polypodii quercini, singulorum media uncia, seminis anisi, foeniculi, petroselini uniuscujusque drachma una. Quae contusa simulque in octo libris aquae ad consumptionem tertiae partis decocta, stent ad quatuor horas, inde expresso liquori addatur una libra zucari vel mellis et secundo percoquatur, tumque coletur. Despuratus certe et defecatus sobrieque haustus totam hostis majestatem in intestinis conteret, quod est omne pestiferum morbi venenum digeret et ad expulsionem praeparabit. Tunc extemplo catapocia sive pilulae, quae ipsum omnino ex viscerum arcibus exterminent, injiciantur. Sumat pilularum de reubarbaro, pilularum de fumo terrae et de hermodactilis, singularum drachmam unam et dimidiam: conficiat triginta pilulas de quibus singulis septimanis, si alvus facile obedierit, devoret septem; si pertinax fuerit et difficulter dissolubilis, novem vel undecim. Ubi profecto eas ipsas medicinas hebdomatim (ut dixi) ad duos vel tres menses continuaverit, observato tamen alias bono vitae regimine, a mero et venere superfluaque comessatione, praesertim piscium, fructuum, carnium humidarum, ut sunt porcorum, agnorum, castrorum omnium aquaticarum avium abstinendo, pullis duntaxat gallinarum, vitellis, hoedis, capriolis, turdis perdicibus, fasanis, alpinis aviculis aceto, agresta, succo limonum, granatorum aut aurantiorum conditis, vino aqua de fumoterrae mixto, aliquando sero caprino cum absinthio et fumo terrae utendo cum gloriosa victoria contra deterrimum inimicum

ad optimae valetudinis portum redibit. Sin pustulae propter grossietiem longius in corpore perstiterint, balneis exsiccantibus, permoto prius sudore per mithridaticum antidotum vel theriacam, quae sobrie quinque horis ante in vino aqua permixto sumi debet, abstergantur. Si vero dolor, juncturis membrorum insidens, quieti turbationes intulerit, perfricentur dolentia membra crebro apud calidam fornacem califactis linteis, vel illinatur hoc unguentum: sumantur salviae, ireos, betonicae, nucis cypressi, masticis, uniuscujusque duae drachmae, unguenti martiatonis uncia una, terbintinae lotae, pinguedinis tassi, singularum uncia dimidia, olei vulpini, olei de costo ac chamomillae unius cujusque uncia una, bdelli, opoponacis uniuscujusque una drachma, croci drachma dimidia, myrrhae scrupuli duo, cerae viridis q. s. Haec inunctio in dies bis, mane et vesperi celebrata sedabit totum dolorum tumultum, nisi corosivus humor, qui paullo ante possessionem junctarum capessit, inde erumpens carnem et cutem nimia acuitate sua perfoderit omniaque vicina loca corrodens ossa nudare coeperit. Tum ejus acuitali infrigidantibus et exsiccantibus emplastris resistendum est. Recipiantur duae unciae cerusae, litargiri auri et argenti, uniuscujusquae drachma una et dimidia, masticis, olibani, singulorum uncia una, resinae pini tres drachmae, aluminis combusti duae unciae, succi malorum citoniorum uncia una et media, cerae albae, olei olivae, quantum pondus requirit. Nullum erit vulnus tam amplum vel altum, quod eo unguento non consolidetur Carnem certe instaurabit et membra, quoe exulcerata fuerant, ad

pristinum statum reducit. Possunt et exulcerationes a quis acutis crebro aspergi, vel exsiccantibus balneis, acetosa, vitriolo albo, alumine et sale coctis, irrigare. Verumquidem quum unus tam tener esset, quod nullam medicaminum acrimoniam ferre posset, aquas solatri seu plantaginis cum inspergimine litargiri vel auri, vel argenti vulneribus adhibeat: quam primum ad sanitatis metam perveniet. Sed quemadmodum haec medicamenta maturant vulnerum sanationem, ubi corrosiva materias est sufficienter potionibus, pilulis vel alias bono vitae regimine ex animae sedibus expulsa, ita videntur eam nonnumquam potius remorari, quam promovere, qum fluxus non est intrinsecus per hujusmodi medicinas rescisus vel a loco vulnerum aversus. Nequeunt enim emplastrorum vel aquarum virtutes tanti esset vigoris, ut fluxum tam subtilem et acutum, si praesertim cum impetu in perfossam carnem inrruerit, sistere et cohibere possint. Quam ob rem studeat quisque, qui hac foeditate infectus est, alvum primo his medicinis, quas jam pridem recensui, vel etiam similibus in qualitate et quantitate secundum corporis sui constitutionem mundare, deinde pustularum sordem descriptis balneis tum dolorem junctarum suo congruo unguento postremo exulcerationes praedicto modo abstergere, sedare et sanare. Validior, sanior et robustior erit, quam unquam antehac fuit. Et in capituli fine addidit: at ne ultimo caelestem medicinam, qua nihil utilius, salubrius et efficacius humanae fragilitati accedere potest, silentio praeteream etc. etc. Quam autem silentio praetereo,

De cura ait Joannes Widmann: Cum considerem sacvitutem hujus passionis et detestationem ejus maximam, ita, ut homines ex civili conversatione separentur, saltem quoad curati sunt, non tantum regimen curativum proponam verum etiam praevisivium, quod debetur sanis nondum infectis primo loco notabo, ut per ejus observantiam ab incursu praedicta passionis, praeservari possint: dehinc curativam subdam. Regimen praevisivum completur diaeta et potione. Diaeta consistit in debita administratione harum sex rerum, quae sunt: aër, motus et quies, somnus et vigilia, animae passiones, cibus et potus, inanitio est repletio, quae a physicis non naturalis vocantur. Potio perficitur per duas intentiones; prima est corporis evacuatio et mundificatio a pravis humoribus, secunda est cordis et hepatis rectificatio, in quorum virtute praecipue materiae supra dictae generantur. Evacuatio autem prima est valde necessaria, cujus magnam utilitatem expertus sum in duobus hominibus apud quos per evacuationes iteratas morbus jam incipiens quominus majora caperet incremenda et horrendum in modum multiplicaretur, prohibebatur. Completur autem dicta evacuatio cum flobotomia et pharmacia. Flobotomia convenit venosis, in quibus abundant signa domini sanguinis, facta ad ℥v vel vj semel aut bis in quarta parte anni juxta corporum exigentiam, prout peritus medicus facile novit: quam evacuationem supplere posnere menstruorum vel haemorrhoidarum retentorum provocatio. His etiam corporibus utile erit ponere ventosas in locis, ubi consueverunt, cum scarificatione; deindu erit sanguis mundificandus ab

humoribus salsis, acutis, aut adustis cum syrupo longo et similibus, prout statim dicetur. Pharmacia vero sola sine flobotomia convenit his, in quibus signo dominii sanguinis non apparent. Sed quoniam oportet medicari et purgare humores non crudos, sed digestos, sicut docuit Hippocras, ideo potest fieri syrupus magistralis longus, qui materias digerit et quantum digerit de eis, tantum evacuat, et erit modus iste minus taediosus sumentibus. Fiat ergo sic. Rp. Lupulorum, fumi terrae aa miß, absinthii, eupatorii, chelidoniae àa pug I, uvarum passarum ℥j prunorum num. xx, corticum mirobalanorum citrinorum et indorum aá ℥iß, agarici albi electi ℥ß epithimi ℥i polypodii, folliculorum sennae àa ℥ii reubarbari boni ℥ß pro divitibus spicae, masticis, anisi, carpobalsami aa ℥ß salis gemmae ℈i. Bulliant in aqua casei ad libram iß et postquam diu steterint, colentur cum expressione et sirupisetur decoctum cum melle rosarum et syrupo de fumo terrae et de epithymio àa, prout libet pro dulcoratione, et potest addi, subtrahi et alterari in digestivis et laxativis, sicut videbitur medico prudenti expedire. Dosis ℥iv in aurora sub actuali calididate, continuando ter aut quater, sicut necessitas vocat. Et si opus erit pluri evacuatione: Rp. Diacatholic. simplicis, electuarii de succo rosarum et confectionis Hamec. aā ℨiß aut paullo plus aut minus juxta naturam sumentis, distempera in ℥ii decoctionis dictae, et detur hora servando diaetam purgatorum. Si quis vero cupit in electuario, consulo, quod sumat ex diacatholicone simplici et confectione Hamec aā ℨiij vel in defectum confectionis Hamec

ponatur tantundem electuarii succi rosarum laxativi, misce cum ℥iβ diasennae. Et si pilulas optat, laudo sumi ex pilulis de fumo terrae, indis et aggretativis āa ℈j aut minus, sicut natura corporis requirit. Rectificatur autem cor et hepar cum aromatibus resistentibus putrefactioni et venenosis materiis, ut cum croco, cinnamomo et rosis et sandalo et cassia ligni et similibus, et potest fieri talis confectio: Rp. Specierum trociscorum de spodio cum semine acetosae ℥ij. corticum citri, cassiae ligni, cinnamomi aa ℥iβ, rosarum rubrum ℥i croci ℈β et cum zuccaro dissoluto in aqua borraginis aut acetosae fiat electuarium liquidum aut confectio solida, addendo vel alterando simplicia, prout opportunitas vocat. Dosis est ℥iij vel iv. Aut detur cochliar hujus mixturae: Rp. Conservae borraginis et rosarum āā ℥iβ confectionis perlatae pulverisatae ℥j. M. Et possunt fieri julep ex aqua acetosae, endiviae vel borraginis et similium, cum zuccaro albo, aromatizando cum modico cinnamomo et sandalo. Regimen curativum similiter completur diaeta et potione et forsan chirurgia. Diaeta et potio adhibendae sunt in regimine curativo et praeservativo.—Dehinc vero intendatur abstersione et exsiccatione pustularum disponendo eas ut cadant quod fit gummeris id est linimentis et unguentis. —

Inter varia linimenta, quae Widmann proponit duo sunt, quibuscum aliquid argenti vivi permixtum erat.

1. Unguentum magistrale de olibano: Rp. Resinae mundae ℥iii, cerussae ℥vi aluminis usti, argenti vivi extincti, lithargyri aa ℥ij thuris albi

℥j cum oleo communi fiat unguentum, in quo aliqui addunt de succo lapathi acuti vel aurantii ℥β vel parum aceti.

2. unguentum magistrale de thure maj. Rp. thuris albi ℥j aluminis usti, lithargyri, cerusae ää ℥β mastichis ʒij argenti vivi extincti ää ℥β.therebinthinae et resinae mundarum ää ℥iβ olei communis. q. s. Fiat unguentum addendo de succis praedictis ℥β.

Alia unguenta: Rp. Cerusae ʒv, lithargyri ʒiv sulfuris, olei rosarum vel mirtini q. s. pro unguento cum ʒβ cerae. Ungt. Apollonii. — Rp. Litargiri ʒj cerusae tantundem, olibani partes XXV, aluminis partes XVI, terbentinae partes XXV, piperis albi part. viij cerae partes L. Olei sextarium unum. F. Ungt. Ungt. Critonis.—Aliud, unguentum Apollioni: Rp. Aphronitri i. e. spumae nitri (et est baurac. armen) part. v. litargiri part j, Tere aphronitrum, infundendo paulatim oleum usque ad consistentiam. — Ungt. Serapionis: Rp. Tubal aeris, myrrhae ää ʒij aluminis jameni ʒiv aristologiae rodundae, calcator. cineris, aloës arabici äa ʒi. Tere et confice cum oleo et aceto. Aliud ejusdem: Rp. Tubal aeris, plumbi usti, cartarum ustarum, sarcocollae ää ℥j sulfuris vivi ʒβ. Tere et misce cum aceto et oleo.

Coradinus Gilinus praescribit ad curationem unguentum et quidem ex sublimato et argento vivo.

Sublimatus ad partem vigesimam octavam et mercurius fluens ad partem decimam quartam totius addantur cum detergentibus, mundificantibus exsiccantibus et narcoticis. Hortatur autem aeg-

rotantes ne temere confidant istis imperitis ut barbitonsoribus, sutoribus et maxime viatoribus, qui nostrarum carnium sunt carnifices, nec humorem qui morbum efficit evacuant, sed solum cum localibus has passiones curare volunt. Ipse ait cura aegritudinis tribus instrumentis completur, primo regimine et nutritiva (diaeta); secundo phlebotomia et purgatione, tertio balneatione in decocto herbarum emollientium et inunctione partium dolentium cum linimento alterante. Postremum auctor est, ut cauterium actuale vel potentiale super commissuram coronalem admoveatur.

Nicolaus Leonicenus ignoravit usum mercurii verba autem facit de curatione per venae sectiones, purgationes, alterationem humorum salsorum diaetam.

Alexander Benedictus proponit quaedam ad luem veneream curandam remedia. Ad ulcera in-, quit Gallici morbi in cute enata Elleborum atrum cum anurgia contrito salsa, adde vini faecem sive crapulam cum iride. Ptyalismus in usu inunctionum mercurialium et symptomata ejus ipsum minime latuerunt, medicamenti enim inquit mobiles dentes fiunt etc.

Casparus Torella credit, curam pudendagrae compleri diaeta et potione. Curam per potionem tribus compleri indicationibus: prima ad evacuandum, quae phlebotomia et purgatione conspiciatur, praemissa humoris peccantis digestione; secunda ad resolvendum et exsiccandum ope balneorum et remedio cum localium, inter quae laudat praesertim sud ationem in furno calido aut saltem in stupha, tertia denique ad consumendam reliquam ma-

teriam, si quae remanserit in cute ope unguentorum, quorum varia proponit genera ex detergentibus, mundificantibus, exsiccantibus, addito etiam in nonnullis mercurio cum saliva humana exstincto, sed a minimum dosin. Recepta quorum talia sunt: Rp. Euphorbii, lithargyri aa lib.β staphysagriae quartum β, argenti vivi quartum, axungia veteris porci lib. β Incorporentur in mortario ut fiat unguentum. Rp. Thuris et mastichis ā ℥iiβ cerussae lib. iβ lithargyri ℥ij argenti vivi ℥iv axungiae porci lib. iβ olei rosati ℥iv. m. f. unguentum. Rp. Cineris vitis lib. β axungiae porcinae lib. iβ argenti vivi cum saliva hominis jejuni exstincti lib. IV. M. et cum succo aurantii fiat unguentum. Aliud unguentum conficiebant alii ex terebinthina de pino, mastiche, cerusa, thure, argento vivo cum saliva humana exstincto, axungia porcina sine sale, oleo rosato et pice graeca.

Praeservative monet, ne cum mulieribus infectis concumbatur, ait enim: quia in coitu est quaedam delectatio ideo dixi dum de delectatione loquebar, ut quantum temporis fieri potest, coitus fugeretur, et non omnino, eo abstinere possis, utaris saltem mulliere non infecta. Torella in mensibus Septembris et Octobris se jam quinque aegrotos curavisse narrat.

Natalis Montesaurus commendavit unguentum quod probatum sit non admixto mercurio. Tres principales in curatione habendas esse indicationes ille dixit, primam esse humorum qualescunque sint, evacuationem; secundam, regimen accuratum et severum in sex rebus non naturalibus, tertiam esse delectum localium usum. Quod ad tertiam

attinet, in usum vocat unguenta ex detergentibus, mundificantibus etc. sed quibus ne gutta quidem mercurii admixta sit.

Bartholomaeus Montagnana jubet circa therapiam: accuratum esse regimen sex rerum non naturalium. Inter caetera vero praescribit, (nempe episcopo) ut coitus temparatus sit et incundus celebrata jam prima et secunda digestione, cum mediatur dispositio in digestione tertia. Deinde proponit multis curationem methodicam in alterantibus, temperantibus et purgantibus variis, sed ne verbum quidem addit de hydrargyro.

Sebastianus Aquilanus mercurio non favet sed laudat virum viperarum maxime inter remedia purgantia, digerentia alterantia, quorum extra diaetam et chirurgiam in epistola sua mentionem facit. Pars tertia curae ipsius rationalis completur chirurgia ope phlebitomiae, unguenti, quo ulcera et pustulae illinuntur, ab hac tamen unctione (unguenta admittit ad partem decimam et quartem mercurium) caveant, qui sunt debilis complexionis.

Antonius Benivenius laudat unguentum mercuriale. Nonnulli inquit resinam terebinthinam argentum vivum, masticum, lithargyrum, cerussam, chimiomy excipiunt myrtino oleo atque lucido et eo in ungentes, sudare cogunt aegrotos nec (addit) postremo desunt, qui fateantur, se solo potu ex bacca loti, aloe, et myrtho confecto ex eadem aegritudine sanos factos esse.

Casparus Torella in secundo suo scripto „dialogus de dolore, cum tractatu de ulceribus in Pudendagra evenire solitis. Romae“, contendit, mor-

bum tantum per coitum propagari omnino percontactum, et dicit: Morbus Gallicus exstirpari potest cum auxilio Dei et gloriosissimae Virginis, Mariae, matris suae, si Praesidentes ut summus Pontifex, Imperator, Reges atque alii Domini ordinent matronas inquisitrices hujus morbi et perquirant imprimis publicas mulieres et si eas infectas invenirent, religent ad locum a communitate seu a Domino destinatum ibique curentur a medico et hoc pacto infallibiliter exstirpabitur morbus iste horrendus. — Hydrargyrum, quod in primo libro commendaverat, nunc improbat. Contra ulcera oris alumine et sublimato uti jubet. Curam praeservativam proponit ut in libro „de ulceribus in pudendagra“ dixit: Infectus et ulceratus in virga quam citissime poterit, faciat sibi sugi locum ulceratum ab aliqua persona, exterius semper exprimendo aut parumper scarificetur, aut de super apponatur parum de sapone molli cum calce, aut gallus sive columbus in culo deplumatus et excoriatus, sic vivus loco ulcerato saepius apponatur, aut apponatur, rana per medium incisa.

Licet Jacobus Romer nihil de morbo venereo scripserit, tamen aliqua, quibus Episcopus Frevirensis uteretur contra morbum pustulosum praescripsit remedia. Remedium purgans primo ex cassia et diapruno solutum cum rhabarbaro infuso in aq. fumar. Collectionem oris ex melle rosato cum alumine, aq. plantaginis et rosarum. Balneum ex decocto fumariae, betonicae, chamomoelli, origoni, rutae, serpilli; a cujus usu $\overset{s}{\text{V}}$ (spiritus vini) aluminati toti corpori illinebatur. Unguentum ex resina alba, oleo com-

muni, cerussa thure, mastiche, sem. lapathii et caphura. Diaeta per quinduum observata et syrupum fumariae cum aqua intybi ac borraginis aliquamdiu bibendum. Vestigiis autem ulcerum oleum cerussatum sive unguentum nutritum aquamque ad artus ex thutia praeparata, camphora cum vino Malvatico chalybeato soluta et insoluta. Unguentum item ex lythargyro, argento crudo, alumine usto, hydragyro, thure albo, mastiche, therebinthina clarificata et oleo olivarum. At denique remedium confortans ex theriaca confectione perlata cum diapruno simplici aromatico, rosato, citriis conditis, diarrhod, lapp. pretiosis, corallis, margaritis et sem. cydoniorum mixtis.

Joannes Geppingensis magni existimavit hanc unctionem sive aquam contra variolas ex auripigmento, arsenico, thure, myrrha, nitro, et sale ammoniaco cum vino decoctis et colatis parabatur et alternam ex adipe porcina, thure albo, thymiamate, mastyche, et hydrargyro extincto; decocto hordei enucleati in potum adhibito.

Franciscus Circillus suo tempore celebres pilulas fecit praeservantes quae compositae ex myrobalanis Cabulentibus, Indicis, citriis, agarico praeparato, rhabarbaro, spica Ind:, mastyche, schoenantho, maci, croco et xylobalsamo.

Jacobus Cutaneus inter alia remedia praeservativa praecipue sublimatum commendat. Adhibuit ad curam: venae sectiones, purgationes, balnea et unguenta mercurialia et mentionem facit curae per suffumigationes ex cinnabri, argento vivo et sulfure, laudat autem vim viperarum. Imperat ut

cura tali ordine fiat: aegrotus ungatur inter duos ignes ab adjutoriis brachiorum usque ad manus et a mediis coxis usque ad pedes unctorque manibus calidis optime fricare debet ut vis malagmatum imprimatur membris. Id mane et vespere fiat ante prandium et ante coenam et singulis diebus, donec dentes dolere coeperint. Tunc humores inflati superiora petunt, ut per gingivas expellantur talis enim horum malagmatum est natura. Caveat aegrotus hoc tempore a frigore et sic stare debet in illis linteis, quosque cesset fluxus phlegmatis per gingivas. Proponit accidentias quae unctionem comitantur nempe caloris exstinctionem, stomachi debilitatem, oris foetorem et dentium commotionem, et morbum sequentur quibus tamen singulis ut etiam aliis veluti cutis foedationi doloribus in universo corpore, nodositatibus et ulceribus mederi non possis sine magno aegroti vitae periculo. In fine libri laudat formulam sequentem malagmatis sive linimenti mercurialis quae circiter septimam admittit mercurii exstincti partem. Rp. Axungiae porci ℔i adipis viperae ℥iii olei laurini ℥iii argenti vivi exstincti ℥ivβ lithargyrii argentei et aurei āā ℥ij mastychis et thuris āā ℥iβ. Terenda terantur subtiliter et misceantur et fiat malagma ad usum.

Petrus Magnardus commendat ad curationem unctiones ex axungia porcina vetustissima ℔ ij. cineris lignorum vitis ℥vj argenti vivi mortificati cum medulla vituli ℥ij Bene commisceantur ut fiat unguentum. Inter remedia praeservativa nominat e v i t a t i o n e m c o i t u s c u m m u l i e r i-

bus infectis; post coitum lotionem genitalium cum aqua naphae sive aqua chalybeata.

Laurentius Phrisius commemorat quidem curationem multis sui temporis medicis usitatam saepius a nobis jam indicatam; diaetam nempe, usum remediorum alterantium, purgationem iteratam et unguenta detergentia, exsiccantia, cicatricem inducentia, quorum tamen nihil admittit. Medicos, qui unguentis utebantur ex mercurio et axungia porcina praeparatis vocat medicos porcinos. Laudat theriacam et mithridaticum. — In fine opusculi proponit secretum clarissimum ad ulcera virgae curanda cum nulla amplius spes sit, quocum ait ille ipse saepius famam et pecuniam impetravit. Secretum tale est: Rp. Pulv. barbae sylvanae (plantaginis aquaticae) ℥j myrrhae et thuris āā ʒji ossis sepiae ʒj. Aspergatur cum eo ulcus.

Angelus Bologninus putat morbum venereum venenum esse, ex corpore per inunctiones mercuriales emovendum. Scripsit libellum de cura ulcerum exteriorum; et de unguentis etc· etc. Bononinae. In hoc libello magnis laudibus effert mecurialium inunctionum usum et accuratissime explicat earum administrationem et effectus. Manus inquit a cubitis et supra cubitos per quator digitos usque ad palmam manus, pedes a genibus et supra genua per quator digitos usque ad pedis plantam nutu Dei inungat infirmus per semet ipsum . . sedens in loco calido puta inter duos ignes unguento in extremitatibus digitorum liquefacto. Innunctis his partibus fascientur loca illa cum fascia calida, supra posita prius stupa cannabina. Linimentum et ceratum mercuriale propo-

nit. Linimentum tale est: Rp. Laridi ex intentione nostra praeparati ℥vi mercurii terestris in naturam coelicolae conversi ℥iij m. et f. unguentum. Formula cerati est haec: Rp. Linimenti supra scripti ℥iij mercurii coelicolae ℥ii cerae ℥iß terebinthinae ℥ß, m. et fiat ceratum. Donec ptyalismus adveniat aut morbus quovis alio modo solvatur, inunctiones quator et quinque diebus iterandas esse, monet.

Joannes Benedictus proponit ad curationem morbi septem intentiones, primo lenitionem ventris, secundo deminutionem materiae, tertio digestionem, quarto evacuationem, quinto alterationem membrorum, sexto confortationem eorum, septimo correctionem accidentium. Damnat curationem per suffimigationes in quibus ponitur cinnabrium. Laudat praecipue suum syrupum oculte factum, etiam balnea et administrationem unguenti mercurialis. Inter remedia prophylactica laudat etiam munditiem, lotiones genitalium aqua calida aut vino factas ait enim coitu peracto optime absterges pudibunda cum tuo indusio aut panno linteo deinde lava cum vino albo aut cum aqua calida.

Wendelinus Hock de Brackenau docet curam mentagrae per evacuationes, phlebotomiam, pharmaca, syrupos, lotiones, balnea,, quam ex libro Joannis Almenaris „Opusculum perutile de“ curatione morbi (ut vulgo dici solet) Gallici etc. exscripsit. Quare curae descriptionem cum verbis Almenaris reddamus, quam ex libri ejus cap IV excepimus: Curam hujus morbi per septem intentiones com-

pleri arbitramur. Prima est ventris lenitio; secunda minorativa evacuatio; tertia materiae digestio; quarta ipsius evacuatio quinta membrorum alteratio; sexta ipsorum confortatio; septimo accedentium correctio. Pro prima igitur intentione: Rp. Cassiae noviter extractae, electuarii lenitivi àa ʒv et cum saccharo fiat bolus aut distemperentur ista cum aqua fumi terrae aut aq. fructuum aut potes exhibere mannae, cassiae āā ʒvi et cum praedictis distemperatur pro divitibus; vel fiat tale clystere: Rp. Blitis, mercurialis, malvae, florum cammomillae aā m j, fiat decoctio, cui addatur, hireae picrae ʒvj, cassiae, zuccari rubei àa ℥i, olei communis ℥iii, salis ʒii. Administretur jejuno stomacho. Pro secunda intentione, quae est materiae minoratio: Rp. Florum violarum flor. boraginis aā ʒiii, liquiritiae, rasae, passularum enuc. àa ʒii prunorum, sebesten. āā n. v, foliculorum sennae, epithimi āā ʒi fiat omnium decoctio, de qua accipiatur q. s. ad distemperandum cassiae noviter extractae, electuarii lenitivi àa ℥i, elect. Indii ʒjß tantundem conectionis Hamech fiat bolus cum zuccaro aut distemperentur omnia etc. ut supra. Vel Rp. pilularum foedidarum, de fumo terrae àá. ℈j fiant pilulae iii cum melle ros. et dentur post coenam electuaria aut dentur de mane. Pro tertia intentione, quae est materiae digestio: Rp. syrupi de fumo terrae, de buglossa aa ʒvj aq, cichoreae, endiviae, lupulorum aä ℥j et continuetur per quinque dies. Deinde detur solutivum positum in sequenti intentione: postea iterum accipiat alium

syrupum ut gratia exempli: Rp. syrupi de sticados ℥j de fumo terrae ℥β aquarum boraginis, lupulorum et endiviae āā ℥i. Transactis autem sex diebus aut septem detur iterum solutivum et postea iterum accipiat syrupum adhuc fortiorem, puta de epithimo cum aquis foeniculi, pelrosellini, etc. et si infirmus fastiditur cum syrupis, fiat talis decoctio. Rp Radicum apii, feniculi, petrosellini, buglossae, brusci, sparagi ab eis extracto medullo ligneo, capillorum veneris, florum boraginis et melissae, epithimi, polipodii, thimi, passularum āa partes aequales, fiat decoctio et coletur et addito pauco aceti et modico zuchari, iterum una bullitione bulliat, et de ipsa accipiat patiens modo et ordine calidum, ut supra. Et si de hoc decoctione jam fastiditur infirmus, dentur tales aquae, cum zucaro Rp. Aquarum scolopendriae, feniculi, buglossae, boraginis, fumiterrae āā ℥i cum modico zuchari, detur ut supra. Sed qui materia est adeo rebellis, quod non potest per intus suscepta digeri oportet, quod ad extra applicentur, quae hanc materiam in digerendo juvant adeo ut quantumcunque materia sit digestioni inobediens, hoc modo digentur scilicet applicando per intus et per extra. Nec de hoc mireris, scilicet de applicatione medicaminum ad extra ad digerendum, quoniam Gilbertus in cura tertianae compositae ait: Oportet digerere materiam per fomentationes, emplastrationes et hujusmodi. Talis ergo servetur ordo, ut prima et secunda die accipiat syrupum patiens; tertia die autem facias ungi cum unguento inferius describendo omnes partes domesticas tibiarum et brachi-

orum et plantas pedum et palmas manuum; leniter tamen et parum apponnendo de unguento; et hoc quando vadit patiens dormitum. Et de mane accipiat etiam suum syrupum, ita ut in sexta die sint accepti sex syrupi et sint factae tres unctiones; et tunc dabis medicinam solutivam et humores qui per os expelli deberent ad inferiora diverteutur et sic evitabitur nocumentum in ore. In diebus autem sequentibus simili modo utaris, fortificando tamen aliquantulum digestivum, et etiam ungnentum ponendo magis de tiriaca et argento vivo. Potes etiam illa loca fomentare cum decoctione melliloti, radicum althaeae, et similium et hoc faciendo de mane et sic erunt tria ingenia simul ad digerendum scilicet syrupi, unctiones et fomentationes. Sequitur modo descriptio ungueti Rp Butyri ℥iii axungiae porci mediae inter recentem et antiquam lib. j. tyriacae aetatis decem annorum ℥i β mithridati ℥i argenti vivi ℥ iiβ lithargiri auri, salis communis āā ℥i f. ungt. ex istis incorporando tantum de aqua fumiterrae et scabiosae, quantum poterit incorporari. Et hoc unguntum est propria medicina hujus morbi et ultimum et majus secretum quod esse posset circa ea quae exterius applicantur. De his autem quae internis applicantur principalius et majus isto est aqua destillationis theriacae, ut videbitur. Pro quarta intentione quae est ipsius materiae digestae evacuatio, in forma potabili primo: Rp. Elect. lenitivi, cassiae noviter extractae, āā ʒiii elect. Indii minoris, confectionis Hamech āā ʒii cum aq. fructuum vel cum decoctione prius dicta, de-

tur de mane, dormiendo desupra per horam; possunt etiam ista distemperari cum aq. buglossae, et endiviae aut de fumo terrae et similibus q. s. vel loco cassiae ponendo mannae ʒvj pro divitibus, vel pro ipsis divitibus detur talis medicina, Rp. Liquiritiae rasae, passularum āā ʒij sebesten n. IV flor. boraginis, buglossae, āā m. ß folliculorum sennae n. IV tamaniadorum ʒj bulliant in aqua buglossae, fumiterrae āā q. s.; de qua decoctione accipiantur ℥iii in qua infundantur reubarbari ℈iv agarici ℈ii spicae griiii, stent per octo horas in infusione et fiat expressio, cui addatur electuarii lenitivi ʒvj, elect. Indii mino ris, confectionis Hamech āā ʒiß f. potio; quae exhibeatur modo ut supra. Pillulae convenientes sunt pilulae de hermodactylis, de fumo terrae, indae, aggretivae ut g. e. Rp. Pilulae de hermodactylis, de fumo terrae aā ℈j foeditarum ℈ii cum syrupo de sticados fiant pilulae, pro una vice quas accipiet patiens de mane et dormiat desuper per horas tres aut quatuor. Pro quinta intentione fiat balneum sive stulpha cum aqua dulci, in qua bulliant malva, bismalva, mellilotum, chamomilla, rosae, lapacium, fumus terrae. Et hoc debet fieri post purgationes in die sequenti. Hoc enim pacto fit conveniens alteratio quia humectatio quae maxime requisita est; et cum incipit sudare accipiet infrascriptam aquam. Rp. Radicis alt, fumi terrae, lapacii, enulae, āa lib ß et minutim incidantur et ponantur in quatuor libris vini malvatici ad remolliendum per unam diem et unam noctem, postea addatur tyriacae, aetatis decem annorum aut plus ʒiß et ponatur

in alambiro et destilletur aqua; de qua accipiantur ℥iij cum ℥ij aq. buglossae in principio ut dictum est; ista stuffa aciteretur omnibus sex diebus transactis aut septem bibendo istam aquam, quae est optima et singularis, et in hoc morbo magnum secretum et ultimum est cauterium. Pro sexta intentione quae est membr. confort. Rp. Letificantis Galae ℥iij diamusci dulcis ʒvj aromatici cariophil. ʒβ electo regum ʒj conservae bugl. cidoniorum, boraginis aā ℥j syrupi de pomis q. s. f. electuarium. De quo accipiantur de mane ℥ij vel cochlear unum. Item: Rp. Tyriacae andromachi habentis aetatem annorum decem ad minus ℥j mitridati ℥β sem. citri, boli armeni āā ℥i; in coporentur omnia ultima contritione et cum aq. ros. muscata fiat electuarum de quo accipiat ad quantitatem avellanae vel ʒj. Item potest fieri talis confectio ad restituendum, si debilis valde fuerit ut saepe accidit: Rp. Amygdal. dulcium, avellanarum aā ℥j sisticorum ℥ β seminum communium frigidorum ʒvj zuccari fini penidiorum, pulpae caponis aa ℥iij cum aq. ros. f. confectio in morsellis. Pro septima intentione quae est accidentium correctio; pro doloribus, si nimium et intolerabiliter infestaverint. Rp. Radicis lilii seminis insquiami aa ℥iij cerusae ℥j medullae cervi et vituli aa ℥ij olei antiqui et cerae q. s. f. ungt. quocum liniatur locus doloris; aut potest poni modicum opii si ultima necessitas fuerit. Pro pustilis utere praedicto unguento vel Rp. Terbintinae, pinguedinis hirci aa ℥ j cerusae, litargirii auri, aluminis usti aā ℥i olei laurini ℥ij, cerae q. s. f. ungt. Pro pustulis ulcerosis, fistulis et cancro:

Rp. Nitri, fuliginis, tartari litargirii cocti sub cineribus in frondibus caulium auripigmenti, piperis, alibani, vitellorum ovi āa ℥iv radicis enulae, lapaci acuti in forti lixivio cocti aā ℥ij succi fumiterrae, lapaci, acuti et absinthii, chelidoniae, enulae, fabae graecae, abrotani, de omnibus his succis āā ℥iij hellebori albi, saponis jarraceni, sulphuris vivi āā ℥β omnes succi bulliant depurentur et colentur et postea radices lapacii, enulae, trite ponantur; deinde sapo postea pulvis sperierum et tunc adde olei communis, assungiae porci et cerae ℥j et fiat ungt, quod erit mirabile adsupradicta! Pro gummis vel nodis accipe radices althacae et in vino albo coque et cum assurgia gallinae tere et superpone. Item: Rp. murilaginis seminis lini, murilaginis althacae, aa ℥ij, olei de spica, amygdal. dulcium, chamomillae aa ℥β butiri ℥i gummi Arabaci, Traganthi āa ℥j cum cera fiat f. ungt. ysopi. Item ad omnia ista vero unguentum, quod solet fieri ad scabiem ut: Rp. Terbintinae b. lotae ℥iv, bulgri toti ℥ij Sabis ℥j succi citrangulorum, vitell. ovor. āā n. iij ol. ros. ℥j misc. omnia simul et f. ungt.

Pro nocumento onis si occiderit, Rp. Rosar. alb. et rub. āā mβ, chamomilla salviae aā mj bulliant in vino albo et coletur; cui coliturae addatur aluminis usti ℥ij diamoron, mellis ros. colati aa ℥β vini granatorum ℥ii m. et laventuros saepe in die. Item valent frustra cucurbitae viridia in ore ritenta; valet etiam lavare os cum lacte miscendo cum eo aquam nenufaris et solatri. — De cautela in evitando morbum Gallicum autem: Qui Gallicum morbum, pergit ille, evitare procurant:

inprimis a delictis caveant. Unde dici solet propter puncta veniunt adversa; et maxime a puncto luxuriae cavere debet, nam dicitur sub tertio: Luxuria ignis est usque ad consumptionem devorans. . . . . . . Dicamus ergo, quod nostra inter est scilicet ut caveat homo a nimia conversatione cum infectis et praepue a coitu cum infecta muliere; est enim hic morbus contagiosus. Item cavendum est ab his quae humores malos generant et praecipue quae multiplicant humorem melancholicum; ut astensum fuit in regimine per sex res non naturales; et si contingat, quod accingat nocumentum in virga propter coitum; statim remediandum est cum sequenti lavanda, Rp. Roris marini, Salviae, chamomillae, ā mβ bull. in vino albo, cui postea facta colatura addatur vini granator. ℥ij mellis ros. ℥β madefiat virga s. lacus naritus cum hac decoctione; postea aspergatur desuper talis pulvis: Rp. Litarg. auri, cerusae, ineos, tuciae, nucum cypress: aa ℥i. Pulveris. optime et post lavandum ponanatur et si hic pulvis erit nimis fortis: addatur thuris masticis, myrrhae aaj ℥j pro majori tamen securitate cum coitu perfecerit homo vel mulier se optime abstergat, circa pudibunda cum camisia (indusio) aut alio panno lineo mundo; et caveat a pannis ipsarum mulierum, quoniam infecti sunt; et postquam ita fecerit pro majori adhuc securitate abluet locum cum aq. calida, aut vino albo; cavendum enim est ab aqua frigida, quoniam ipsa materiam conpingit unde in fricatione coitus adhaeret àliqua limositas sive humiditas in virga, quae est causa infectionis virgae et corporis.

Otto Raut s, Rothius scripsit: „Pronosticum ad annos Domini 1502 u. 1503 exploratum per Ottonem Raut artium et medicinarum doctorem etc. item notatu digna de causa et cura morbi nunc temporis grassantes, qui malum Franciae sive scorra nominatur. Ad curandam scorram praescripsit phebotomia et ventosis sanguinis deminuationem; evacuationem humorum abundantium purgatione; sudationes, et vires mitridato, tyriaca etc. reficere.

Joannes de Vigo (cujus nomen emplastro et unguento nostro quoque tempore in pharmacopoeis notum) uti duplicem morbi statum recentis et confirmati distinxit, sic etiam de duplici ejus cura locutus est. Recentis morbi curam methodo jam descripta compleri et adhuc indicari usu scilicet diaetae legitimae, alterantium, phlebotomiae, purgantium, balneorum, stupharum et linimentorum, quibus argentum vivum admiscebatur; ad confirmati vero morbi curam mercurio semper utendum esse. Nullum, inquit, melius medicamentum, crede mihi, quam protinus patientem illinire linimento infra scripto aut linimenti loco ceratum imponere brachiis et tibiis semel aut bis in die donecdentes dolere coeperint, tum cessetur ab inunctione et aegrotus se calidum teneat donec fluxus phlegmatis cesset per gingivas. Utrumque et linimentum et ceratum partem circiter decimam sextam argenti vivi saliva exstincti continet. Linimentem quidem jam pridem obsolevit quamvis adsit ex parte in quibusdam dispensoriis sub nomine unguenti Neapolitani. Ceratum vero etiamnum in usu est nomine emplasti de raris Vigonis.

Ceterum Joannes de Vigo primus est qui externe adhibuerit ad virgae pustulas curandas mercurium praecipitatum, quem vocat pulverem suum carnis supervacui remotivum.

In partis hujus fine misi liceat judicium de methodis medendi a me indicatis paucis absolvere easque cum illis, quae nostro tempore adhibentur, comparare. Unde autem diversae prodierint de morbi origine sententiae, jam supra fusius demonstravimus. Quomodo autem factum sit, ut tam diversis medici uterentur methodis, pauca verba supra commemoratis addere mihi concedatur. Hic autem maximo jure mihi videtur contendi posse, totam mediae aetatis indolem, omniumque qui in illa inveniebantur morborum naturam in hoc uno morbo se praebuisse conspiciendas.

Methodi enim sanandi morbi syphilitici partim morbi ingenio partum illi ad quem pathologiae illis temporibus pervenerat perfectionis gradui, partim morbi symptomatibus aut omnibus his causis conjunctis suam debent originem.

Ingenium morborum vero inerat vegetationis sphaerae neoplasmatibus et morbosi venositate insignissimae. Quod quidem ingenium luxurians, abundans multis procreationibus mirum in modum in lue venerea deprehendimus. Haec enim lues majore cum vehementia et acerbitate quam aliae grassata est. Nemini pepercit, ipsi vicarii Dei maximi ab ea correpti sunt. Quo autem hic morbus omnibus hominibus fuit infestior, eo majore vi et violentia omnem organismum occupaverat atque comprehenderat. Profecto in universo organismo illud malum suam sedem fixerat, cujus

descriptio a testibus oculatis exhibita maximo horrore implet lectorum animos, et tantopere homines afflixit, ut in doloribus acerbissimis mortem salutarent amicum gratissimum et atrocissimi mali liberatorem. Primo enim tempore medici remedia idonea ignorantes, frustra omnem suam operam in morbo sanando collocaverunt. Itaque Sebastianus Brandt in logio suo cantat:

Non ille Chiron necitem cum fratre Machaon
Ferre salutarem posse fatentur opem.

Profecto morbi ingenio effectum est, ut cum in hac lue horrenda nervica remedia: venaesationes et purgationes iteratae, inunctiones unguentorum diversorum et cura per famem (diaetam) nullo adhiberentur successu ad aedem sacram confugerent (indolem illius aetatis sequentes). Ceterum quis miretur quod, cum ab omnibus remediis et auxiliis se viderent desertos ut Paracelsus inquit: ſich zu den rothen Kappen flüchteten i. e. ad sacerdotes et se coram idolis sanctorum prosternerent, et quae homines sibi dare non possent, ea ab illis postularent? Non mirandum esse dico, quod illis temporibus eae res acciderunt, quae temporis statui et intelligentiae accommodatae erant. Magis tamen mirandum est, quod nostro tempore, quo tanta ad majorem cognitionis gradum perveniendi cuique data est occasio, quo tot et tanti homines magnis sacrificiis, quae prae provenitate impendebant, ad mundum illuminandum contulerunt, ita ut mens non amplius serviat sacerdotum voluntati et arbitrio, magnopere est quod mireris dico, quod nostris temporibus fanatismum iterum videmus invalescere ejusque causam a viris magna intelligentia praeditis defendi. Si videmus et ad vacuas res, reliquias etc. et ad Sanctam Mariam con-

fugi et propter quasdam preces et propter certum quendam precum numerum, quae aut ab ipsis aut ab aliis factae erant, consilium medicorum negligi posse, quibus rebus medicorum auctoritas et scientia quam maxime debilitatur atque efficacia sua privatur, nonne nobis quamvis nolentibus in memoriam revocantur mediae aetatis tempora? Cum tamen luce clarius videamus summa ope hominibus enitendum esse ut animum in dies magis excolant, num perversa ratione omnia quae ad obcaecandos homines pertinent, sequemur? Temporis beneficiis, quibus nos cumulavit divina providentia, non utamur? Profecto longe hoc absit a nobis! Tempus mediae aetatis etiam certamine novi temporiscum temporibus praeteritis excelluit, et nonne in excitandis vetustis sententiis et systematibus etin studio veritatis sese indicat? Quidquid autem de illo humani animi regressu cogitamus, profecto id utilitatis habet, quod, quanta sit inter lucem et obscuritatem differentia, luculentissime perspicitur. Ignoscas quaeso L. B. quod haec verba tam diu me a proposito abstraxerunt, cum autem in multis regionibus exempla audirem, quae animum vehementer commoverent, non potui, quin illa commemorarem animoque paululum indulgerem.

Pathologiam et therapiam mediae aetatis quod attinet, eam ad modum incultam fuisse, eandem fere semper methodum in omnibus morbis adhibuisse, medicosque illius temporis minima parta thesauri medicamentorum locupletis usos esse notum est. Quae enim illo tempore maxime florebat, erat pathologia humoralis, quae cum morbi ingenio con-

juncta morbi syphilitici curam genuit. Haec autem id potissimum agebat, ut succis diminuendis et alienandis remediisque alterantibus sanitatem restitueret. Similia nobis praebent exempla theoriae Stahlianae, Bronnianae (quae posteriores a pathologia humorali feliciter recesserunt) qui viri cum essent clarissimi hujus temporis therapiae auctores, remediis debilitantibus (venae sectionibus) remediis irritantibus (camphora, china, vino, opio, ferro etc.) ad morbum sanandum usi sunt. Remedia tamen ut adhibeantur irritantia sane ingenium postulat multorum morborum nervosum, ubi docuit usus medendi Hofmanni felicissimus. Methodi autem medendi in morbo syphilitico mediae aetatis tempore adhibitae non minus derivandae sunt a pertinacia symptomatum quibus se exseruit ille morbus quam ab humili, quo artes et litterae in universum et praecipue medicina inveniebatur, gradu. Cum enim ejus temporis homines minus cogitando essent adsueti et admodum pauci ingenii acumine excellerent, minime est mirandum, quod magna ex parte curationes medici adhibebant externas, remediisque utebantur exsiccatoriis, detergentibus cicatricem inducentibus, in quibus mercurii usus modo commendatus modo erat reprobatus. Tantam enim uti nostris, etiam illis temporibus mercurii usus excitavit disputationem et controversiam. Defenderunt autem mercurii usum prisci Weidmann, Gilinus, Torella, Brocandus, Pictor, Romer, Geppingensis Circillus, Herc, Almenar, Cutaneus, Magnardus, Bologninus, Joannes de Vigo et novi Hufeland, Cirillo, Berg, Weinhold, Plenc, Dzondi, Hahnemann, Rust, Lou-

vrier, Culburer, Ricord, Belliol, contra eum scripserunt prisci: Leonicenuus, Schelling, Montesaurus, Montagna, Aquilanus, Steber, Torella (qui prius Mercurium commendaverat), Phrisius, Vochs, et novi Ferguson, Besnard, Desruelles St. Gervais, Struve, Brüninghausen, Fricke, Wilhelm, Kluge, Handschuh, Haeker, et alii.

Collatas inter se omnes has methodos in una methodo aut iphlogistica possumus comprehendere, remedia enim alterantia contra auctam sanguinis plasticitatem adhibita sunt. Quamquam autem ne nostris quidem temporibus omnes remotae sunt in morbo nostro sanando dificultates, cum nunc quoque disceptetur, utrum fame an inuntionibus utrum cum mercurio an sine illo agendum sit, cum sane difficillimum sit, methodum invenire omnibus numeris absolutam, quae et cito et tuto et sine multis doloribus ad finem perveniat, tamen haud infitiandum est, nostrum tempus accuratius cognita multorum medicamentorum natura et detectis multis novis remediis antea incognitis, maximos in morbo sanando fecisse progressus. Inter remedia recens inventa praecipue Jodum est nominandum, quod solum aut cum Kali et cum Hydrargyro conjunctum in casibus inveteratissimis et periculosissimis maximae est efiicaciae. Multa alia, quae nostrum tempus detexit remedia nomina re quia tempus deest abstinendum nobis est. Qua propter magnam ille medicus videtur facere et hominibus et litteris injuriam, qui opinione praejudicata ductus in obsoletis haeret, maximaque cum indignatione nova rejicit haud semper contemnenda, omnibusque sibi videtur satisfecisse of-

ficiis, si per quoddam tempus mane et vespere mercurii oxydulati granum sumi, et si nulla mutatio in melius accidit, hodie hoc cras illud membrum inungi et in diem octavum purgari jubet. Injuriam facit litteris, quoniam melioribus remediis non utitur, et cum temporis progressibus non utatur, medicae scientiae rudibus malam praebet de illa opinionem. Jura autem hominum negligit atque profanat, quia per eum multorum morborum semen propagatur. Dubitari enim nequit, quin morbus srofulosus, chachitis, debilitas infantium et adultorum partim ab eo morbo partim a mala ipsius curatione efficiantur. Quamvis igitur credam, consilia ad juventutem corroborandam esse utilissima, tamen nisi hanc luem vitaveris inter omnes ordines vulgatam, nullo gaudebant, successu. Corpus enim veneno venereo infectum et debilitatum neque decurrendo et saltando (Turnen), neque precando corroborari atque sanari certum est. Et sane dixerim, unam debilitatis et infirmatatis nostro tempore conspionae causam sitam esse in morbo syphilitico et in malis quas ad eum propulsandum adhibent, methodis. Tantopere enim praecipue in magnisurbibus et in locis fabricarum propagatus est libidinosa hominum vita ille morbus, ut plane mirandum non sit, si auctor dicit: Aliquid mercurii nemini nocet, quisque enim magis vel minus syphiliticus est et Ricond de inoculatione tractans blenorrheae syphiliticae notat, duos ipsius auditores forte non infectos fuisse. Tanta tamen nostris temporibus ad hoc malum opprimendum adhibetur opera, ut ejus certe malignitas admodum sit minuta ita ut malum non sit amplius

letiferum, quamvis totum hominum generi periculosum. Ut igitur si fieri posset radicitus exstingueretur, remedia adhibita sunt et nunc quoque adhibentur prophylactica quae in remedia dispesci possunt medica et moralia.

Quod ad remedia medica attinet prophylactica inter multa innumera obsoleta et recentia, quae medici praescripserunt rudesque adhibuerunt, duo videntur commemoratione dignissima quae fortasse sunt aequalia. Unum remediorum est Sapo a medico Russico commendatus, qui horis xxiv post infectionem peractis vim exserit admirabilem ad exstinguendum contagium syphiliticum, et constat ex Hydrargyri muriatici corrosivi ℥iβ et gr. xii ammonii muriatici ℥β tere in mortario lapideo cum tincturae thujae occid. q. s. adde Tannini ʒj cum aqua fervida agitando soluti, postea admisce Calcariae chlorinicae ℥iβ saponis natr. puri ℔ tincturae thyae ℥ij aquae fervidae ℥j — ℥ij olei caryophil. ℥β fiat massa saponis.

Alterum autem est arcanum Dr. Graff Kirchbergensis quod ipse facit et etiam ipse vendit thalero (Lpzgr. Zeitung 1844 Monat April.) Sed talia remedia prophylactica non conveniunt cum consilio Petri Magnardi, qui ait: Cavete coitum cum mulieribus infectis sed fortasse magis comparata sunt ad impudentiam et supra adjuvanda et augenda quam ad illa diminuenda et arcenda quae Paracelsus causas morbi esse credidit. Illis enim remediis confidens nullo contagionis timore impeditus (qui tamen multos libidinis cupidissimos retinet) in Veneris brachia se projicit.

Quod autem ad alteram methodum attinet moralitatis via morbi pragationem prohibituram, hoc notandum est. Societas quurundam feminarum, cujus et nomen et leges a catholicis originem ducunt, (barmherzige Schwestern) ad aegrotos curandos praesidibus aliquot viris instituta est. Feminae ad hanc rem idoneae in certis quibusdam institutis ad officia ipsis exsequenda praeparantur, in quibus non solum ea docentur, quae ad curam aegrotornm agendam sint necessaria, sed etiam magna imbuuntur religionis reverentia. Talia quidem instituta sane magna laude essent extollenda si omnibus quibus possent viribus, ut ad hunc finem perveniren, eniterentur. Allati tamen nobis sunt ex illis locis, ubi jam hoc feminarum institutum floret, nuntii, qui certiores nos faciunt, societatis consilium plane irritum reddi, modo id agere societatem, cum corporis curam negligat ut aegrotorum animi emendentur. Maximam enim illae feminae virtutem collocant in animo adjuvando corporibus minus parcendum esse opinantes.

Nonnullae hujus societatis, quarum summa est reverentia, electae sunt, ut a malo atrocissimo morbo syphilitico mundum liberent, qua de causa curatrices aegrotorum in nosocomii stationibus syphiliticis factae sunt, eo consilio, ut homines deterrimi et improbi intuentes harum matronarum sanctitatem et religionem et audientes earum admonitiones poenitentiam agant atque resipiscant, vitaque quam prius agebant perversa relicta, bonis moribus adsuescant. Ingenue tamen mihi fatendum est, me vix induci posse, ut credam, homi-

nes tam diu vitiis adsuetos feminarum ad monitu tam celeriter mutari, et revera tam brevi tempore ad meliorem frugem redire. Itaque satis compertum est experientia, illos aegrotos, quamdiu essent in nosocomiis, et quamdiu summi et atrocissimi iis perferendi essent dolores, mutatas prae se tulisse animi sententias, nosocomiis autem vix relictis inopia, consuetudine et aliis causis adactos novae se exposuisse infectioni. Magis autem commendandam esse puto meliorem morbi sanandi methodum severamque feminarum infectarum custodum. Quibus quidem remediis etsi non prorsus et repente morbus exstinguatur, tamen fore ut in dies minuatur hominesque evadant paullatim firmiores et saniores, bene sperari potest. Caspar Torella jam protulit hanc sententiam a nobis jam indicatam in verbis: Morbus Gallicus exstirpari potest etc. Hanc sententiam omnibus temporibus fuisse, quaerendis et pretensandis remediis novis et prophylacticis jam indicatum est. Persequentes autem magnum, quo homines flagrabant studium novas morbi venerei sanandi methodos detegendi, remedium deprehendimus, quod maxima haud dubie gloria gavisum est. Tempus, quo usus ejus maxime florebat, secundam hujus dissertationis facit periodum.

Periodus secunda.

(A tempore, quo lignum Guajaci primo adhibitum in Germania ad tempus, quo mercurius interne datus.)

De origine morbi etiam hac sectione sententiae nobis sunt proponendae de diversis sanandi methodis disputaturis. Ne tamen, quae jam diximus iterum repetamus, laudare mihi liceat locum celebrem e libro Ulrichii Hutten depromptum, qui inscribitur, de admiranda Guajaci medicina et morbi Gallici curatione. Verba haec sunt: Annus fuit a Christo nato post millesimum et quadringentesimum nonagesimus tertius aut circa, cum irrepsit pestiferum malum non in Gallia quidem sed apud Neapolim primum, nomen vero inde sortitum est quod in Gallorum exercitu qui illic Caroli regis sui auspiciis belligerabat, apparuit prius quam usquam alibi.

Latentium ejus causarum nondum definita a medicis quaestio est, at misere diu jam agitata et summa discordia promptum est conversata. In hoc convenere omnes quod intelligere promptum est quodam in salubris aëris, qui eo tempore fuerit, ad flatu, correptos lacus, fontes, fluvios, ac ipsa etiam maria inde terram contraxisse venereum, infecta pascua, venenatum ab aëre de missum vaporem

inde hausisse spiritum animalia. Repertus est enim in quibusdam aliis animantibus hic morbus. Huc astrologi ex siderum motu ratiocinati in conjunctionem, quae fuit paulo ante Saturni et Martis, ac binas solis eclipses causam ejus rejecerunt, oportuisse dictitantes praesagire haec morbos pituitosos, et biliosos longos, tenaces, lentos, quales sunt elephantia, lepra, impetigo et quaelibet pessima scabies ac pustulae etsi quae sunt corpus deformantes ut podagra et chiragra, paralysis, ischia et articulorum dolores ac similia incommoda. Magis autem septentrioni id destinatum propter aquarii signum, quo prior eclipsis inciderit et occidenti propter pisces, quod posterior attigerit, dicebantque medici aegritudinem esse a malo intus succo et vitiosis humoribus melancholicis, adustis aut flavabile vel pituita, sive salsa, sive adusta et ipsa aut aliquot horum vel omnibus etiam simul permixtis, quorum acore extra ad corporis superficiem eunte, aduci cutem et exulcerari aut vero a crudis, lentis et crassis in artus pro pelli, eisque dolorem concitari, tumores surgere, tubera innasci, nodos colligi et sinuari cutem, supra etiam caput infestari. In Universum pristinam corporis constitutionem alternari. Quidam breviter ex infecto sanguine correpto atque adusto hanc luem oriri dictitabunt.

Nicolaus Poll, Leonardus Schmaus et Ulrichus Hutten primi de usu Guajaci ligni scripserunt.

Schmaus refert se cum audierit de mira et incredibili alicujus ligni in India occidentali scilicet in insula Spagnuola nuperrime dedecta provenientis potentia tantopere occupatum esse ipsius ani-

mum investiganda illius plantae natura, ut vel somno meditari non desierit. Quo quidem studio indefesso factum est, ut collectis multis litteris de hac re agentibus diligentius inspectis multis relationibus ex India et Lusitania ad diversos Germaniae principes et ad viros primarios transmissis, hujus herbae naturam, virtutem, proprietatem, usum et operationem penitus cognosceret. Triplex proponitur illius ligni adhibendi ratio. Primo decoctum ex scobe conficitur ut artis est et propinandum exhibetur per unum fere mensem bis in die. Secundo electuarium praeparatur ex ligno pulverato cum syrupo approbiato commixto, de quo mane et vespere accipitur cochlear ita continuando per triginta dies. Tertio pulvis ipse solus pondere drachmae unius in liquore aliquo aut super pane tosto vel per se exhibetur, ... quo remedio venter multis subpurgatur.

Ulricus Hutten scripsit in cap. VI et VII libri de medicina Guajaci etc. Lignum e Spagnola insula ad nos translatum. Ab incolis insulae ipsis, qui omnes morbo Gallico laborant Guajacum neque aliud contra hunc morbum remedium usurpari. Hispanos usum ab indigenis didicisse. Hunc in modum praeparari. Lignum oportet primum in frusta, quantum licet pusilla comminui quidam ad tornum hoc faciunt, deinde ramentum ipsum statim commode faciunt. Alii quod derasum est, prius terunt aut pistillis tundunt ut in scobem plane et pulverem redigatur, quo penetratu facilius est ut ejus excoquatur vis. Vidi, qui serra conscinderent prius, deinde partes dissecatas lima attererent ipsamque tandem limaturam aqua miscerent.

Verum quidquid id est, aut desculpta frusta aut elimatam scobem at centusum pulverem pondere unius librae in aquae fontanae libris octo, diem et noctem macerant, deinde percoquunt, lento vapore in olla vitreata nova aut diligenter elota ad prunam horis amplius sex, dum ad dimidiam partem se imminuat, magna cura et attenta custodia, ne nimio calore rebulliat. Nam quod ex undaverit multum de vi perdere ajunt et minus esse efficax. Propterea ad flammam coqui non sustinet et prunam quoque modicam petit ac ollam quae non repleatur, sed cujus tertia prope pars vacet. Spuma, quae inter coquendum innatat, detrahitur, ulcerum, quae ea inunguntur medicamento. Nam vim ei in esse disiccatoriam efficacissimam, comperimus. Sic decoctum ubi percolaverint, in ampullam vitream defundunt deinde ex relicta denuo scobe cum libris octo, quando quasi locam aut tortivum percoquunt. Hoc tenue ad cibos potui dant, prius illud medicinae loco sorbetur. Atque adeo totum hoc, quod nos tanto tam gravi morbo liberat, decoctum illud est. Hoc rei caput, hic cardo, in quo salus nostra vertitur. Color decocti est talis qualis aquae ex modicam limo turbatae. Sapor primum gustantibus subacidus, paulatim assuescenti jucundus. Ausi sunt mellis indere in libram uncias iv medici. Quod ut non improbo ita necessarium esse nego. Quamdiu cura durat, residet in conclavi aeger, aeri, nedum ventis obnoxio, ubi ignis continuo sit, aut ut in Germania extra aestuarium, non quod semper quidem caleat, sed ab aere tantum, quod munitum et occlusum sit, ne quis cum omnino adspiret aër, toto

hujus curationis tempore, cavendumque etiam frigus.

Sic instructo paulatim cibus subtrahitur, primo quarta pars ejus, quam sumere consuevit; deinde tertia, paulo post dimidium ut esurire discat et vinum detur aqua valde dilutum, ibi tum alvus ducitur, medicina indita purgatoria, sive cum delectu ea sumatur, quae satis putetur ad praescindendam causam aut eximendam materiam, quae morbum fovet, sive simpliciter talis, ut inanem reddat ventrem. Nam hoc tantum quaeri video, quo curato statim opus hoc auspicari licet, hunc in modum. Prius illud et valentius decoctum bis die propinatur, tepidum, cyatho uno, mane quidem ad quintam vel juxta horam, noctu octava. Porro vocamus cyathum dimidii librae unius capax poculum. Qua ratione colligere datur, ut cum ad decoctionem unius ligni librae infundantur, aquae octo et inter coquendum ejus dimidium consumptum oporteat, ac librae quatuor supersint bisque de una potetur, ut unius librae Guajaci decoctio in dies quatuor sufficiat. Bibitur raptim sine interspiratione post bibitum inter quiescendum horis amplius quatuor, et duobus quidem primis contectum esse oportet, ut caloris ope digesto in artus medicamento noxium exsudet aeger, quod quanti momenti sit, dicam suo loco. Quidam sola spuma abungunt ulcera et vulnera aut desiccatum eum in pulvisculum adspergunt. — Aliqui breviore tempore sanescunt quidam serius, tricenis magna pars diebus. Quin decimo die alvum duci iterum jubent. Alii triginta dies satis esse putant, quibus praeteritis decernatur, quis exire possit nec ne. Sed ne il-

lis quidem, qui exeundi veniam nacti sunt, statim plena libertas conceditur. Caute enim ab initio iis exeundum est, nec in apertum statim sed primum intra parietes deinde ad vicinam aliquam domum, donec ferre aërem adsuescant.

Id circo arbitror, ut Alexander Aphrodisicens putat, esurientes solito cibi usu praetermisso macescere, et materiam aggregare acriorem. Purgatione igitur, quod sic collectum est extrahitur ut vacuum maneat aegri corpus. Et tunc quidem mane non bibitur ad noctem statim reditur ad potionem et post eum diem largius adsumitur cibus.

De ratione victus in hac curatione ait: Quidam solo pane quod simplicissimum nutrimentum vocat Galenus vivendum censent eumque dantquatuor unciarum sine sale aut condimento, omnique in universum obsonio arbitrantur abstinendum, nisi quod a pullo gallinaceo jus aliquod sorberi patiuntur aut cum pane inibi madefacto edi semel die. Nam vespere praeter passulas, et panis unciam nihil dant. Alii dimidium pulli gallinacei adhuc molliusculi aut si is adolverit quartam partem in aqua pura elixi, eique non salis, non condimenti aliquid apponunt, nisi quod saccharum indunt aliqui. Panis vero teruncium dant. Vespere et prius passulas, cum panis uncia.

Quod attinet at victus exiguitatem et ad subtrahendos aegro cibos observat Hutten fuisse etiam apud veteres jam tales medendi methodos atque apud Diodorum legendum est, Aegyptios vel jejunio vel vomitu aegros curasse.

De obstructione Hutten inquit: Potest autem contineri excrementum, ut in hac diaeta in quin-

tum aut sextum diem sine periculo quam propter medicamenti vim, quae inest illi exsiccatoria et astrictiva non tam quia parum editur. Deinde limatura Guajaci in aqua decocta bibitur semiuncia in aurora. Quod si primo nihil moverit, datur sequenti iterum die aut tertio, si ne sic quidem responderit tum infundenda subtus clysteria, aut balani eum in usum apparati imponuntur, nam ducere omnino ventrem oportet. Quem si quis cassiae potu aut etiam victu solvat, nihil errasse crediderim valde, dum ne plus quam semel hoc contingat et eo mane non bibatur a Guajaco. Vomitu levandum non censeo, frigidiora enim facere corpora vomitiones et inimicos oculis dixit Plinius, maximeque dentibus. Porro, quae alvum restant, multa in hoc negotio conveniunt. Primum quod inani jam ante de purgatione corpus est, deinde quia parum cibi ad sumitur. Sed ut hic clausus ejectionibus locus est ita nonnihil interim excernitur, aut per sudores propellentes nocumenta et superflua Guajaco aut in urina quod liquidius est, a cibo.

De sudatione credit ille, neminem cogendum esse, ut sudet nisi hoc, quod res ipsa habet; patiatur quis, ut tres aut quatuor horas contineat se quidem in lecto, neque excedat et contegatur, sed neque multo obrutus vestitu neque immobilis penitus jaceat, in summa nihil magnopere augeatur.

Joannes Manardus praescribit in tertia epistola ejus, quae consilium medicum continet in usum Campegii Purpurati, qua ratione ligno indico sive sancto utendum sit; ceterum non modo ut illius de-

coctum bibatur suadet, sed etiam ut spuma decocti vel quod illi praestabilius videtur ut oleum per descensum destillatum locis dolentibus illinatur.

Joannes Leo scripsit: Si quisquam fuerit, qui se morbo Gallico infectum sentiat, mox in Numidiam aut in Numidarum regionem proficiscatur, cujus tanta est temperies, ut optimae sanitati restitutus inde in patriam redeat; quod quidem multis accidisse ipse meis vidi oculis, qui multo adhibito neque pharmaco, neque medico aërem praeter saluberrimum jam supra dictum revolverunt.

Diaz de Isla commemorat aquam sive decoctum radicis ficus Indicae amarissimum, quod ad sanandum morbum sit utilissimum.

Jacobus a Bethencourt in libro, qui inscribitur: Nova poenitentialis quadragesima nec non purgatorium in morbum Gallicum, inquit: Nunc temporis indicti morbi curatione duae praecipue procumpunt haereses:

Altera Guajacum extollens lignum; altera aquam argenti (argentum vivum) non mediocri efferens praeconio.

Primus, qui gonorrheam describit, Nicolaus Massa, tractat in libro secundo de regimine aëris per cibum et potum, de recto usu ceterarum rerum non naturalium, de purgatione et alteratione, de conveniente usu phlebotomiae ventosarum et sanguifugarum in hac aegritudine.

Monet, fugiendum esse coitum cum mulieribus denuo menstruatis et infectis ista aegritudine. In tertio libro agitur de medicina ligni Indici sassa-

parillae atque radicis Chinae. In quarto proponit multa et varia genera unctionis vel ceratorum mercurialium. Describit suum unguentum, quod sanat pustulas morbi Neapolitani doloresque et resolvit apostemata dura sive grumas et ulcera mala. Quod constat ex Rp. Axungiae porcinae inundatae a suis pelliculis et foetorem solutae sive igne ℔ ij argenti vivi ℔j lithargyrii ℥iij cerussae ℥ij olibani ℥j m. et fiat unguentum. Inunctiones ipsas per intervalla tantum adhibitas fuisse, cum aegri debiliores esse videbantur.

Joannes Paschalis affirmat ad curationem argentum virum maxime valere. In morbo curando primum locum deberi inunctionibus, quarum fiat usus cum anodynis et confortantibus ut sunt oleum chamomelinum, arethinum, de semine lini etc. Altera cum digestentibus et maturantibus ut sunt adeps aratinus, vitulinus, leoninus, leopardinus, caprinus, hircinus, phasianinus etc. Tertia demum cum unguento, quod componit octavam partem argenti vivi sputo exstincti. Alterum modum morbi curativum esse, quem ex Galeno per analogiam hauserit nempe aeger fortiter inungatur oleo Sabinae vel Anethino valente, deinde intra dolium vel commodum carpentum intrare permittatur, ubi duo vel tres vel plures lapides myletes seu molares vel pyrites seu lapides bene ignitos intro mittas, supra quibus (dum sic ardentes et igniti servantur) cum pilis vel scopa aliqua de acerrimo aceto super effundatur taliter et tamdiu quousque indifferenter totum corpus exquisite sudaverit.

Consecute sudore corpus totum sudariis calefactis abstergatur et in lecto ponatur.

Et sic fomentatio seu stupha per septem dies et si erit finis modi Galeni cum stupha et sine argento vivo.

Tertium modum medendi similiter esse sine argento vivo videlicet ope ,decocti ex ligno quodam, quod nominatur lignum sanctum sive Indicum, quia inde recens introductum est.

Heinonymus Tracastorius ad curationem diaetam, quietem, labores rusticanos, decocta, venae sectionem, in unctiones cum mercurialibus usque ad ptyalismum adhiberi jubet, monet, ne coitus exerceatur.

Suffimigationem cum cinnamo improbat, et in localibus casibus probat.

Cura in carmine de Syphilite (ut morbus ab eo primo vocatus est quod nomen a pastore Syphili derivatur, quem Apollo propter aras ab eo destructas et propter convicia in se conjecta, diutius hoc morbo punivisse dicitur) descripta est in his versibus:

Principio quoniam affecto non sanguinis una
Est ratio tibi sit morbo spes major in illo
etc. etc.

Petrus Mathiolus proponit duo remedia nova ad curationem utilia.

Primo Mercurium praecipitatum rubrum, quem utilissimum esse ad affectus alios non paucos censet. Secundo oleum seu potius spiritum sulfuris per campanam eductum et quem laudat tum ad morbi hujus curationem tum ad morbos alios.

Cheiredinus vel Cheirodinus dictus Barbarossa natus in insula Lesbo. Frater fuit famosi piratae Heruch qui seculo ineunte XVI. mare mediterra-

neum infestum reddidit. Cheiredinus mortuo fratri successit imperiumque amplificavit expugnaot Tunete, quapropter a Solimanno II .Turcarum imperatore rei Turcarum maritimae praefectus est, defunctus est anno 1547 Constantinopoli. Barbarossa cum vixisset paulo luxuriosius atque intemperantius saepius laboravit morbo venereo, quo pilulis quibusdam capiendis se liberavit, quae praeter cathardica mercurium vivum recipiebant et quas a medico quodam Judaeo acceperat, Franciscus I. qui et ipse malo laboraverat a Barbarossa has pilulas accepit, unde hae vulgo Pilulae Barbarossae dictae sunt.

Exstant diversae harum pilularum formulae e. g. quali formula a Petro de Bagno in Enchiridio de medendis corporibus, affectibus capite de doloribus musculorum in morbo Gallico genitis Rp. Argenti vivi ʒxxv rhabarb. ʒx diagrin. ʒiij moschi et ambrae á ʒj farinae frumenti ʒij cum succo limonum fiat massa pilularum, ex qua formentur pilulae maguitudine ciceris et detur una pro vice omni die per horam ante coenam.

Formulam ab ea quae exhibuit Petro de Bagno diversam praesertim ingredientium pondera alius proposuit.

Rp. argenti vivi ʒiij gr. VII. Scammoneae et moschi ã ʒj od. gr. xxii rhabarbari ʒj gr. xv farinae tritici gr. vii cum succo limonum fiat massa pilularum. Apud Guilelmum Rondoletum alia forma, exstat, quae est: Rp. Rhabarbari et Agarici á ʒj aloes ℥j argenti vivi in succo rosarum ʒiij cinnamomi et ambrae ã ℈j myrrhae et mas-

tichis ā ʒj. Cum terebinthina excipiantur et fiant pilulae octo pro ʒj Capiat ℈j pro prima dosi deinde ℈jß postremo ℈jj.

Quo facilius ea, quae postremum in universum de tota hujus periodi methodo nobis erunt observanda, annecterentur methodum sanandi morbi syphilitici a Paracelso medicinae reformatore usurpatam ad finem hujus opusculi reposuimus. Ad quam tamen methodum describendam priusquam accingamur, quaenam fuerit priorum methodorum ratio et quanto gauderent successu breviter in memoriam nobis revocemus. Morbus syphiliticus quamvis plurima et fortissima ad eum propulsandum adhibentur remedia, quia medici morbum ipsum multo minus igitur rectam eum sanandi methodum non satis cognoverant, majore in dies grassata est vehementia. Quae quidem ignorantia non est quod miros nos habeat, quia medici morbi atrocitate perterriti aegrotorum jam adspectum teste Ulrico Hutten fugiebant. Ille enim dicit: „Fugiebant ejus porro adspectum nedum contactu abstinebant, ut morbi praetereae nullius.“ Huc accessit, quod nova in dies hujus morbi se ostenderunt symptomata quae cum mirum in modum se conjungerent cum morbi materia jam antea in aegroti corpore sita magnopere occupabant medicorum animos, morbumque reddiderunt cognitu multo difficiliorem. Etiamsi contigisset medico recta ratione de hoc morbo cogitare, rectamque sanandi methodum praescribere, tamen temporis illius credulitas et superstitio et magna quam medicastris et impostoribus habebant fides, qui modo id agebant, ut falsa ostentatione et promissis et ludicris

populum deciperent, homines quominus methodum sequerentur sana ratione comprobatam impedivit. Quamvis igitur multi medici periti talibus hominibus se opponerent ipsorumque fraudes detegerent tamen uti etiam nostris invenitur temporibus, populus ab his hominibus decipi et sanitati privari quam medicis peritis se sanandum tradere maluit. Quae cum ita se haberent, morbus maxima saevitia homines adoriens plura cepisset incrementa, nisi natura hoc in morbo uti in aliis morbis juvante magnopere mitigata esset morbi syphilitici malignitas. Blennorheae se exseruerunt evacuationes criticas et qui antea totum corpus occupaverat morbus, nunc solummodo membra quaedam ipsius praecipue genitalia corripuit. Etiam res hujus temporis gestas utilem ad morbum sanandum exseruisse efficaciam non infitiandum est. Detecta enim America magnus remediorum et medicamentorum thesaurus ligno Guajaci radice chinae Sassapanilla inventis auctus et locupletatus est, quae quidem remedia usu gaudebant per longum tempus generali et exclusivo. Et denique sub finem hujus periodi scientiae medicae contigit, remedium invenire, quod testibus iis, qui plurimum de sanando morbo nostro meriti sunt, sane quod inter efficacissima contra morbum syphiliticum remedia referatur, dignissimum est. Cum enim maxima ei insit vis liquefaciendi cum ad vegetationem opprimendam multum valeat et cum maxima polleat efficacia ad retinendum processum hujus morbi luxuriautem, maxima sane Paracelso debetur gratia, quod hoc remedium nos docuit et profundis suis cognitionibus in intimum regni inorganici pene-

trale nos introduxit, et quomodo saluti naturarum organicarum prospiceremus rebus inorganicis nobis monstravit. Priusquam autem methodum magni hujus medici nostro demum tempore uti par est aestimati et per multa secula, quia homines eum non satis intellexerunt contemti et neglecti exponamus, ipsius vitam paululum adumbremus.

Philippus Aureolus Paracelsus Bombastus ab Hohenheim 1493 in viculo pagi Suitensis, decto Einsidlen prope Suringiam natus et jam a patre alchymia et medicina imbutus est. A monachis et episcopis institutus, anno 1509 ad universitatem abiit Basilensem et aliquo tempore post ad Trithemium alchymiae cognitione insignem eo tempore Sponhemii Abbatem, apud quem magnum hujus scientiae conciliavit amorem, cui apud Sigismundum de Fugger magis etiam indulgebat. Multa, quae diversis nominibus fecit itinera litteraria multum contulerunt ad cognitiones in multis litterarum partibus augendas et amplificandas. Anno 1525 in Germania sedem suam fixit ubi tantam eruditione sua medica adeptus est gloriam, ut professuram ipsi offerret magistratus Basilensis anno 1527. Lite tamen quam habuit cum magistratu ut hanc urbem relinqueret coactus, vitam eo inde tempore egit erraticam et circumvagantem, donec Salisburgi anno 1541 ab hominibus uti credibile est sicariis a colle quodam praeceps actus diem obiit supremum. Haec quidem vita conjuncta cum maxima, qua scripta ipsius propagabantur celeritate, causam praebuit ad eum vitae dissolutae ebrietatis et omnium vitiorum accusandum. Cum primus esset, qui scholas habuit in lingua vernacula, non

deerant, qui latinae linguae eum plane ignarum fuisse dicerent. Quamquam haud negare possumus, eum fuisse ostentationi quam maxime deditum, cum medicis respondisse dicatur inter alia: non digni estis, qui corrigias meas solvatis, quam quam haud injuria vitae effrenatae et ebrietatis obrutus sit opprobrio, quamquam eum nimium indulsisse fanatismo mysticaeque scribendi rationi ab eo usitatae non possumus negare, tamen nunc omnihus his quae ad rem nostram non pertinent omissis, quas in arte medica foverit sententias paulo diligentius consideremus, quae omnes peculiari cui deditus erat philosophiae suam debent originem. Principium fundamentale universalis est coeli et terrae harmonia, mundi idealis et realis, identitate ex divina omnium mundi partium emanante effecta, quae mutuam quae intercedit inter macrocosmum et microcosmum relationem, inde gignit, quod ambo modo sunt personificationes definitae earumdem virium organicarum.

(Quam sententiam Schelling in philosophiam suam recepit) Quod quidem principium indicatum videmus in ipsius Astrologia, Magia, et Alchymia quod cum etiam transferret in organismum humanum, prima eum physiologiae nostrae jecisse fundamenta, jure contendi potest. Eadem theoria, quam statim fusius explicabimus ipsius pathologia superstructa est. Omnes naturae e natura originali prodierunt et limus major et limus minor (homo) qui perfectissimus est omnium creaturarum. In limo majore qui constat e vitaeactivitate et vitae materia tres conti nueturpotentiae. Eae sunt sal, sulfur, mercurius sed non tanquam essentiae terrenae sed tanquam

astrales; sal igitur est fundamentum consistentiae omnium corporum, sulfur fundamentum incrementi et combustionis, mercurius fundamentum fluoris et evaporationis. Sal igitur est symbolum corporis et terrae, sulfur spiritus et aëris, mercurius animi et aquae. Ex his elementorum materiis quatuor orta sunt elementa. Ut igitur totus mundus nascitur ex limo majore, sic omne quod est indivuduale ex substrato oritur limoso, quod humore et calore dissolvitur. Morbus igitur est secundum Paracelsum discordia trium materiarum originariarum; sanitas est pax et concordia earum. Quamvis pulcherrime autem auctor noster doctrinam de morbis tractaverit cum morbi processum modo a contagio sive a veneno sive ab aliqua inflamatione derivet. tamen non solum ea re excellit, sed etiam de arte therapeutica optime meritus est. Posthabitis omnibus aliis indicationibus unum modo novit studium sanandi, quod naturae ipsi sit proprium arte medica sustentandi, et jubet ut ad hoc studium sustentandum semper similia in dentur et propinqua. Haec quidem similia in arcanis sive specificis quae cum e macrocosmo sint petita singulari ad aegrotum organum sunt affinitate. Rejectis igitur omnibus remediorum mixtionibus, tincturam, essentiarum et extractorum formam introduxit, materiamque medicam efficacissimorum medicamentorum thesauro locupletavit, ut magnete, Sulfure,, auro, ferro, Antimonio, argento vivo, stanno etc. Cum in multis medicinae partibus multa detexerit multaque reformaverit ad chirurgiam quoque reformandam animum attendit et in libro ipsius qui agit de arte chirurgia non-

nulla etiam capita invenimus, de curando morbo syphilitico, igitur quae Paracelsus cogitaverit de morbi contagione proponamus et tum ad tractandi methodum ab ipso commendatam transeamus.

Paracelsas narrat, nullo tempore inde a mundi origine tantam fuisse libidinem nullo tantopere Veneri indulsisse homines quam initio morbi syphylitici, Ex hac impudicitia luxuriosa et effrenata novum morbum (variolus) natum esse. Quomodo autem ex libidine venerea morbus ille ortus sit, ita explicat: attrahi a matrice infectionem e maribus proficiscentem, quae tum etiam retineatur. Quodsi alio coitu facto alteratio nondum esset consumta, illam a viri natura attractam in totum corpus transire illudque veneno inficere venereo. Cum variae indolis et naturae feminae et mares se coitu miscuissent, quorum fortasse alius alia laboraret morbi materia, morbum mirum in modum mixtum esse, ita ut quis sit peculiaris ipsius genius difficile possit cognosci. Porro commemorat alios quoque morbos coitu in morbum syphiliticum mutari, qui tamen nunquam possit oriri in corpore omnino sano. Quod si homo podagra laborans attraxerit illud quod in matrice remanserit venenum, morbum ejus qui antea eadum usus sit muliere in eum transire et cum podogra conjungi, ita ut existat paralyticus atque contractus. In aestimonio oriri ulcerationes; colicam procreare paralysin a scabie pustulas gigni. Ita explicat variorum morbi syphilitici generum originem additis his verbis: morbum tali modo ortum morbum esse compositum, qui iu novam transiens generationem triplex gignat morbi genus, quod ad

rheumatismum pertineat in paralysin mutari scabiem, pruritum, cicatrices, malum mortuum in ejusdem generis morbos ʒ ex aestimonio nasci ulcerationes et corrosiones.

Methodis medendi a Paracelso usitata theoriae ab ipso propositae maxime accomodata est. Suam cuique morbi speciei specificum adscriptum est. Vis mercurialis in omni morbi venerei specie summum est sanandi remedium. Si syphilis apparet cum aliis morbis conjuncta, specifica praescribuntur illis morbis accomodata, cum mercurio conjuncta. Quia tamen diligentior et accuratior chemiae Paracelsianae expositio integrum sibi vindicaret librum brevitatis causa modo id quid tum fecerit si ille morbus cum aliis inveniret conjunctum, indicabimus,

In cap. I. libr. VII de Tumonibus, pustulis et ulceribus morbi Gallici dixit: Morbum quod libet per suum emunctorium expellendum; Guajacum ad tumones absumendos frustra adhiberi, Chaos mercurii non corpus usurpandum; annulos ex argento vivo miram facultatem; fumum mercurii ad articulorum pituitam dejiciendam utilem. Ceprositatem quandam mercurio inesse. In Cap. II ejusd. libri de curatione pustularum ex Hydropisi laudat, ob vim specificam liquorem tartari, vitrioli et aquilae. Rp. Liquoris tartari ℥j vitrioli ℈β, aquilae liquefactae gr. xv. M. D. potui. Posthorum usum si ita vidibitur, ac aegri constitutio ferat, poteris decocto ebuli, sudorem provare in Laconico. In cap. III ad pustulas cum Podagra complicatas curandas, praescribit. Rp. Mummiae versae ℔β, axungiae vulpis ℔j f. Ungt. Ungantur per biduum

omnes artus; dein Rp. Liquoris hermodactylorum, ellebori foliorum ā ℥β, aquilae haematini gr. vj. Bibat mane quinto quaquo die et prae scripto unguento ungatur, donec nullum morbi signum sopusit amplius. Ab usu dulcium, tum vehementiorum catharticorum, qualia sunt: Euphorbuim, scammonea et lapis Luzuli cavendum. Cap. iv tractans de pustulis ex Catarrho curandis jussit ut quoque die exhibeantur Rp. Auri soluti ℈j mercurii corporalis haematini gr. vj. M. Idque tribus urcibus purgant corpus a lue hac ut nihil piritus Fordium remaneat. Et in Cap. V suprascriptum, de pustulis ex catharrho curandis proponit ad hunc luis sperim adhibendum: Rp. Aq. vitae ℈jj Mercurii corporalis ex luna gr. v atque invicem in liquore misceantur, atque ad septimum usque diem quotidie diluculo exhibeantur.

In Cap. VI. de lue Gallica icteritia curanda ait ille: Ubi ab icteritia lues Gallica originem duxerit, utrumque depellere conabimur. Velut asalliae in ictaritia, sic mercurius martis in lue Gallica inde nata secretum quiddam obtinet. Atqui neutrum horum scoesum malum istud curare valet, itaque necessario ambo iu unum compositum seu corpus rediguntur, quod et luem ipsam et exteritiam curare queat, in hunc qui sequitur modum: Rp. Asalciorum ℥vj, mercurii martis haemateri ʒi vitro imposita permittantur donec in oleitatem declinent, post colantur per pannum sericum, atque hujus colati guttas jjj ad quinque vel sex dies in ovo sorbili exhibito. Cap. VII. De pustulis cum Honorrhea curandis. Laudat usum Mercurii Veneris

et Balsurin mumiae hoc modo, ut Balsurin mumiae ℥ß cum ℈j mercurii veneris permisceantur, ac cum ℈j aquae raphari majoris exhibeantur, usque donec neque faetor, neque sanies, neque sanguis per urinas effluat amplius, neque quid quam praeterea liprosae; libidinis aegrum exinceat. — Cap. VIII. De lue Gallica ex caduco curando. Remedia ad hanc luis Gallicae speciem curandam: Liquor vitrioli major, sanguis separatus, oleum camphorae cum mercurio auri. Usus eorum talis est: de Sanguinis separati ℥i vel olei camphorae ℈j vel iquoris vitreoli gr v, utrumque libuerit, dentur mane et vespere ad dies novem vel decem, quo elapso tempore, cum alterutro horum mercurii corporali gr. exhibito, ad corpus pustulosum per sua emunctoria expellendum.

Cap. IX. De menstrualibus pustulis curandis. Ad menstrualium pustularum curationem adjungit liquorem auri et melissae cum mercurio Jovis, hoc modo. Rp. Liq. auri ℈j mercurii Jovis liquefacti gr. xv, liquoris melissae ʒiij. Misceantur ac digerantur ad dies viij, dein singulis matutinis hujus mixturae gr. iij in aqua pulegii adhibeantur. Cap. X. De pustulis erraticis curandis. Si pluribus invicem mixtis morbis lues Gallica, modo hac, modo illa forma se prodat, curationis tota ratio ad mercurium saturni referenda erit, tum ad confortativa et mundificativa: Confortationem praestantissimum est essentia vini ex Chilidonia extracta. Et itaque Rp. Essentiae vini de chilidonia ʒß, mercurii saturni haematitico more praeparati

℥j et ℈j altero quovis die exhibeantur et videbis quo pacto natura corpus morbi per sua emunitoria expellat. Observandum etiam tum erit, qua morbus pellatur, si enim per os exeat, signum est concomitantis podagrice vel paralyticae defluxionis. Sin per urinas exeat, icteritiae, menstruorum, hydropis vel gonnorrhaeae quiddam concomitari conjicies. Denique per sudorum prodeat, caduci morbi concurrentis quaedam suspicio erit etc. Cap. XI. De residuis pustularum speciebus curandis. Si autem (quod saepius accidere solet) post factam curationem juxta praescriptos canones, aliquid adhuc superesse cerratur, ut verbi causa pustulae aliquae si adhuc reliquae sint, quarum extrema malitia evinci adhuc non potuisset, in hunc qui sequitur modum eas auferre tentatus. Rp. olei nealgaris q. s. ungatur pustulae singulis diebus ter quaterve, et sine occatrice, vel macula decident. Alia hujus generis quoque sunt, ut aquae fontes, unguenta etc., quae suo cujusvis judicio relinquo. — Liber IX. tractat de curatione chifrurgicalium morborum luis Gallicae. Morbi chiıurgicales externi sunt furfures, Saphati, squamae scabies, ulcera, lupus, (vulgo Noti meltangere dicunt), condylomata etc, cuique cum luc Gallica, conjuncto quoque suum specificum cum mercurio. Itaque praescribit ad squamas, furfures, Saphatos, scabies curandas. Rp. Liquoris rosinae terrae ℥j olei mercurii saturnini ʒj. f. mixtura, qua ungantur semel, atque iterum furfures etc. Ad luem ex lupo curandam adhibendum: Rp. Fumi metallorum ʒj mercurii martis haematini ʒiii, liquoris bdellii ad pondus omnium, degirantur ac superfusa

aqua parthenionis ad ℔jj usque in pulvillis deinceps adhibeantur, renovando singulis duodecim horis remedium, tertio denique die oppodeltacti adhibetis, donec omnis curatio absoluta perfectaque sit.

Epilogus.

Haud injuria dicit Girtanner: Morbus venereus extremo sec. XV ortus maximi est in historia medicinae momenti et sane ausim addere, horrenda illa lues maximae ad litteras restaurandas fuit efficaciae hominibusque in universum plura quam cuiquam credibile videatur, attulit commoda. Quod ut probemus haec afferamus!

Media aetas, ubi animus humanus regredi videbatur et in qua omnium animi videbantur obscurationi maxime favere, artes et litteras profundo sopiverat somno. Cum enim omnia maxima servitute essent oppressa, e qua se liberare nemini contigit, quamvis nonnulli maximis quibus potuerunt viribus eniterentur, omnes quominus majores in litteris facerent progressus impediebantur. Cum enim illi qui summae verum praeerant viderent modo superstitione et ignorantia impotentem suam dominationem posse fulciri et sustentari, ut omnia quae ad homines magis excolendos pertinebant reprimerent, summo studio elaborabant. Quod tamen consilium temporis rationibus irritum redditum est. Multae enim res ut maxima cum vio-

lentia reformatio se exsereret effecerunt. Quibus rebus morbum syphiliticum etiam adnumerandum esse censeo. Ille enim morbus, qui nulla ordinis et auctoritatis habita ratione in humilium et nobilium domos penetravit, qui simulatam sacerdotum pietatem detexit cum eis aperte vitae libidinosae maculam inureret, cogere sane debebat populum, ut quam vana sit sacerdotum dominatio cognosceret, libertatemque et dignitatem suam sentiret. Maxime igitur ea re ut reformationem desiderarent adacti erant, eo magis quod morbus ipsa sua atrocitate homines ad meditationem suique ipsius animi considerationem excitavit. Intellexeunt homines veram salutemin natura contemplanda et in animo intuendo quaerendam esse omissis vanis et futilibus studiis ad magiam et theurgiam pertinentibus. Considerantibus igitur nobis hac ex ratione morbi syphilitici efficaciam dubium non erit, quin etiam hac lue humani generis saluti prospectum sit. Nulla enim res in historia universali celebrata sine ullo accidit fructu, et quamvis aliquid maxime nobis videatur acerbum atque dolendum quippe qui omnem rerum nexum non possumus perspicere, tamen historia quae est major ad perfectionem evolutio nos excitabit ut, errores temporis praesentis necessarios esse ut postero tempore veritatis lumen eo clarius prodeat, persuasum habeamus et posteri igitur demum multas res nobis cognitu difficillimas recte judicabunt. Majorum tamen morbus syphiliticus in m e d i c i n a m exseruit efficaciam. Eadem uti ceterae disciplinae obscuritate obruta erat ars medica. Cum enim tempori maxime esset obnoxia,

negligentia in ea regnabat quam maxime effrenata, arctisque limitibus circumscripta erat cum in monasteriis eam exercerent. Cum esset ceterum superstitione et opinionibus praejudicatis mirum in modum impedita, ruina ipsius imminebat etiam multorum medicorum qui solum modo empiria nitebantur, ignorantia. Plane ignota erat doctrina vere Hippocratea; tum novus apparuit morbus, et magnam quae in arte medica invaluerat segnitiem atque inertiam ad novam vitam resuscitavit, ut lues temporis Hippocratis invalescentes, tam admirabilem et divinam in Hippocrate excitaverunt sollertiam et postea in Galeno; ita etiam lues venerea Paracelso ut novam arti medicae redderet vitam occasionem praebuit, cujus morbi processum intuendi ratio nostro demum tempore videtur invalescere.

Magnus ille vir nobis apparuit alter Lutherus in arte medica, et modo per talem virum qui efficacissime monuit ne temere fides haberetur scientiae veteri aridae et jejunae nostrae scientiae saluti bene potuit prospici. Cum maxima subtilitate et incredibili acumine omnia naturae indagaret mysteria, fieri non potuit, quin multa quae hominibus videbantur obscurissima, maxima perspicuitate detegeret. Cum enim nemo hunc morbum perspiceret, maximopere cujusque medici acumen et judicium exerceret et acueret necesse erat. Quamquam ab intio nova excogitare nollent caeca Galeni reverentia ducti, in cujus effatis modo rectam morbi sanandi methodum quaerebant, mox tamen, quam vanum hoc conamen sit, intelligentes,

ipsi cogitare et agere coeperunt, eaque re fortasse contra opinionem et voluntatem ruinam effecerunt mysticismi per multa secula sacrati, fidemque caecam Galeno habitam sub verterunt. Haud injuria mihi igitur dixisse videor primum ad artem medicam reformandam in eo apparuisse fundamentum.

hat cogitare et agere coeperunt, atque re [illegible] se contra opiniones et voluntatem cunctorum [illegible] rum mysticam per multa saecula [illegible]. [illegible] que arcem Galeni [illegible] esse [illegible]. Illud injuria nihi [illegible] dicere [illegible] primum ad artem medicam [illegible] in eo apparere [illegible] [illegible].